

Sancta Birgitta

Reuelacionum liber quartus

Incipit quartus liber celestis Reuelacionum Dei beate Birgitte diuinitus reuelatus

Verba Iohannis Euangeliste ad sponsam, qualiter nullum opus est sine remuneracione; et quomodo Biblia precellit omnes scripturas; et de rege predone et proditore et prodigo et cetera; et de consilio ipsi regi a sancto Iohanne dato; et qualiter debeat contempnere diuicias et honores propter Deum. Capitulum primum.

1 Apparuit sponse persona quedam hominis, cuius crines videbantur circumcisi cum obprobrio, corpus perunctum erat oleo totumque nudatum, sed nichil erubescens; **2** qui sponse dixit: "Scriptura quam vos vocatis sanctam dicit sic, quod nullum opus sine remuneracione erit. **3** Hec est illa scriptura que apud vos Biblia vocatur, sed apud nos est fulgida quasi sol, resplendens incomparabilius auro, fructificans quasi semen quod centuplum ex se profert fructum. **4** Sicut enim aurum cetera precellit metallia, sic scriptura, quam vos dicitis sanctam, nos vero vocamus eam auream, precellit omnes scripturas, **5** quia in ipsa honoratur et predicatur verus Deus, patriarcharum replicantur opera, prophetarum explanantur infusiones.

6 Ergo quia nullum opus sine remuneracione est, audi que loquor: Rex iste coram Deo predator est et proditor animarum prodigusque effusor diuiciarum. **7** Itaque sicut nullus proditor est peior illo qui diligentem se prodit, sic iste multos spiritualiter prodidit, carnaliter diligendo iniustos, iniuste exaltando impios, iustos deprimendo, excessus corrigendos dissimulando. **8** Secundo nullus predo peior est illo qui prodit eum, qui in sinu eius caput suum reclinat. Sic communitas terre quasi in sinu suo erat, quam rex iste miserabiliter depredatus est, **9** aliorum bona auferri permittendo, aliis intolerabilia imponendo, aliorum iniurias dissimulando, iusticiam semper remisse exercendo. Tercio nullus fur peior est illo qui creditis sibi omnibus et acceptis clauibus furatur domino inuito. **10** Sic iste accepit claves potestatis et honoris, quibus iniuste et prodigaliter usus est, non ad honorem Dei. Ergo quia aliqua sibi placita dimisit amore mei, consulto sibi tria.

11 Primo quod sit sicut ille euangelicus qui relictis siliquis porcorum rediit ad patrem. Sic ipse contempnat diuicias et honores, **12** que respectu eternorum non sunt nisi porcorum silique, cum humilitate et deuocione regrediendo ad patrem suum Deum. Secundo dimittat mortuos sepelire mortuos suos et sequatur viam artam crucifixi Dei. **13** Tercio relinquat graue pondus peccatorum suorum et ingrediatur per viam illam, que in principio est arta sed in fine gaudiosa.

14 Tu quoque, que vides me, intellige, quia ego sum ille qui scripturam auream plenius agnoui et agnoscendo augmentaui. Ego fui nudatus ignominiose, sed quia pacienter sustinui, Deus vestiuit animam meam veste immortali. **15** Ego eciam fui intinctus oleo; ideo nunc gaudeo oleo leticie sempiterne. Ego insuper post Matrem Dei leuissima morte de mundo transiui, quia custos Matris Dei factus fui, et corpus meum est in loco quietissimo et securissimo."

Visio mirabilis et notanda sponse et qualiter Deus ipsam visionem exponit; in qua exposicione baptizati per animal, gentiles per piscem et Dei amici per tres turbas designantur. Capitulum II.

1 Post hec videbantur sponse quasi due statere stantes iuxta terram; quarum summitates et ligature ascendebant nubes, circuli vero ipsi penetrabant celum. **2** In prima vero statera erat piscis, cuius squame acute erant quasi rasorium, visus eius quasi basilisci, os vero quasi unicornii effundentis venenum, aures autem quasi acutissime lancee et quasi lamine ferree. **3** In alia vero statera erat animal quoddam, cuius pellis quasi silex, <cuius> os ingens erat effundens flamas ardentes, cuius palpebre quasi durissimi gladii, cuius aures durissime erant emittentes sagittas acutissimas tamquam de arcu duro et extenso.

4 Post hec apparuerunt tres turbe populorum in terra; prima erat modica, secunda minor, tercia vero minima. Quibus vox una sonuit de celo dicens: **5** "O, amici, ego vehementer sicio cor animalis istius mirabilis, si quis esset, qui ex caritate presentaret michi illud. Ego eciam feruentissime concupisco sanguinem piscis, dummodo inueniretur homo, qui eum afferret michi."

6 Respondit vox una de turba loquens quasi ex ore omnium: "Audi," inquit, "o conditor noster. Quomodo poterimus tibi presentare cor animalis tanti, cuius pellis durior est silice? **7** Si appropinquare voluerimus ori eius, incendemur flamma ignis eius; si viderimus oculos eius, transfodiemur scintillis sagittarum eius; **8** et si forte spes aliqua esset de animali habendo, quis poterit apprehendere piscem, cuius squame acuciores sunt cuspidibus, cuius oculi extingunt visum nostrum, cuius os diffundit in nos venenum insanabile?"

9 Respondit vox de celo dicens: "O, amici, animal et piscis videntur vobis inuincibiles, sed apud omnipotentem est facile. Ergo quicumque querit viam ad impugnandum animal, ego de celo infundam sapienciam fortitudinemque tribuam. Qui vero paratus est pro me mori, ego ipse me dabo ei in remuneracionem."

10 Respondit turba prima: "O, summe pater, tu es dator tocius boni. Nos vero, factura tua, libenter dabimus tibi cor nostrum ad honorem tuum; cetera vero, que extra cor sunt, disponemus ad sustencionem et refectionem carnis nostre. **11** Et quia mors videtur nobis dura, infirmitas carnis onerosa, sciencia vero modica, ideo rege nos interius et exterius, accipeque grataanter que offerimus et repende quantum et quidquid tibi placet."

12 Respondit turba secunda: "Recognoscimus infirmitates nostras et attendimus mundi vanitates et varietates. Ideo libenter dabimus tibi cor nostrum omnemque voluntatem nostram relinquimus in manus aliorum, quia subesse aliis magis desideramus quam minima de mundo possidere."

13 Dixit turba tercia: "Audi, domine tu, qui desideras cor animalis et sitis sanguinem piscis: libenter dabimus tibi cor nostrum et parati sumus mori pro te. Tu tribue sapienciam, et nos queremus viam ad inueniendum cor animalis."

14 Post ista sonuit vox una de celo dicens: "O, amice, si inuenire desideras cor animalis, perfora cum terebro acuto manus tuas in medio. Deinde sume palpebras cete et coniunge palpebris tuis cum fortissimo bitumine. **15** Accipe quoque laminam calibus et alligabis eam cordi tuo, ita quod latitudo et planicies calibus sint propinquiora cordi tuo. Claude quoque intersticia narium attrahendo spiritum tuum in collum.

16 Et sic clauso ore et incluso spiritu procede audacter contra seuiciam animalis; cumque peruereris ad animal ipsum, apprehende ambabus manibus aures eius, cuius sagitte non nocebunt tibi sed exibunt per aperta foramina manus tue. **17** Insuper occurre animali clauso ore et appropinquando suffla in illud totum spiritum tuum; ad cuius aduentum flamme animalis non nocebunt tibi sed regredientur in animal ipsum et ardebunt illud. **18** Nota quoque diligentissime cuspides gladiorum, qui exibunt de oculis animalis. Quibus coniunge oculos tuos munitos palpebris cete; ex quorum mutua et valida coniunctione vel flectentur gladii animalis vel ingredientur in cor eius. **19** Considera eciam attente pulsum cordis animalis et ibi infige aciem calibus peralide confodiendo silicem pellis animalis. **20** Si tunc frangitur silex, scito quod morietur animal et cor eius erit meum; quod si unum talentum ponderabit, ego laboranti dabo centum. Si vero non frangitur et animal nocuerit homini, ego curabo illum hominem saucium et mortuum suscitabo.

21 Qui vero voluerit michi presentare piscem, vadat ad litus habendo rete in manibus, quod contextum sit non de filis sed de ere preciosissimo. **22** Ingrediatur itaque aquam sed non plus quam ad genua, ne forte noceant procelle, et pedem in illo loco figat, ubi solidum est et arena absque luto. **23** Deinde excect sibi unum oculum, quem excecatum vertat ad piscem, cuius visus, qui est quasi basilisci, nullo modo tunc aduersus hominem preualebit. **24** Sumat quoque clipeum de calibe in brachium suum; tunc non nocebit sibi morsus serpentinus. Postea extendat rete suum super piscem ita valide et caute, quod piscis rasoriis suis non valeat discindere rete vel rumpere nec euadere aliqua fortitudine vel impulsu.

25 Si itaque sentit piscem, extendat rete super eum sursum; quem si decem horis tenuerit super aquas, tunc piscis ille morietur. Quem portans ad litus respiciat eum oculo illo quem non excecauerat et apponendo manus aperiat eum in dorso, ubi plus est de sanguine, et sic presentet eum domino suo. **26** Si vero piscis euaserit aut natauerit ad litus aliud nocens homini veneno suo, ego potens sum sanare infectum, nec minor erit remuneracio pro sanguine piscis quam pro corde animalis.”

27 Item loquitur Deus: ”Statere iste significant tantum, quasi quis diceret: ’Parce et patere, expecta et miserere,’ quasi aliquis videns iniusticiam alterius et semper, ut a malo desisteret, eum ammoneret. **28** Sic ego Deus et creator omnium quandoque more statere descendo ad hominem ammonendo eum, parcendo ei et tribulacionibus eum probando; quandoque ascendo mentes hominum illustrando, inflammando graciaque insolita visitando. **29** Ligature vero statere ascendentibus nubes significant, quod ego omnium Deus omnes, tam gentiles quam christianos, tam amicos quam inimicos sustento et gracia mea illustro et visito, si tamen inuenirentur qui gracie mee respondere vellent, voluntatem et affectum suum a malo auertendo. **30** Animal vero significat illos qui sanctum baptisma suscepserunt, et peruenientes ad annos discretionis sed verba sancti euangelii non imitantes, quorum cor et os ad terrena prolapsum est, spiritualia minime attendunt. **31** Piscis vero significat gentiles in procellis concupiscencie vagantes, quorum sanguis id est fides modica est et intellectus ad Deum parvus.

32 Ideo desidero cor animalis et sanguinem piscis, si tamen inuenirentur qui ex caritate conarentur michi illa presentare. **33** Tres vero turbe sunt amici mei: primi qui mundo utuntur rationabiliter, secundi qui sua relinquunt obediendo humiliter, tertii qui mori pro Deo parati sunt.”

*Collocucio mirabilis per modum interrogacionis et responsionis inter Deum et sponsam de rege et de iure
hereditario regis in regno et suorum successorum; et qualiter quedam a successoribus regni repetenda
sunt et quedam non. Capitulum III.*

1 "O, Domine," inquit sponsa, "ne indigneris si quero: Audiui ex scriptura, quod nichil acquirendum est cum iniusticia, nec tenendum est aliquid acquisitum contra iusticiam. **2** Nunc autem rex iste habet terram, quam quidam dicunt habere eum ex iusticia, alii respondent contrarium. Et ideo mirum est, si in isto hoc toleras, quod in aliis reprobatur."

3 Respondit Deus: "Post diluuium nulli homines remanserunt nisi qui erant in diluio in archa; et ex eis una progenies nata est, que venit ad orientem, de qua eciam quidam venerunt in Sweciam. **4** Et alia generacio venit ad occidentem, de qua quidam exorti venerunt in Daciam. Sed qui primum ceperunt colere terram non circumuallatam aqua, nichil appropriabant sibi de terra eorum qui habitabant ultra aquas et in insulis, **5** sed unusquisque contentabatur de eo quod inuenerat, sicut scriptum est de Loth et Abraham: 'Si,' inquit, 'tu ad dexteram vadis, ego sinistram tenebo,' quasi diceret: 'Quidquid tu tibi approprias, hoc erit tuum et heredum tuorum.' **6** Deinde procedente tempore venerunt iudices et reges, qui contenti terminis suis non occupabant terram eorum, qui in insulis et ultra aquam habitabant, sed stabat unusquisque in terminis et limitibus antiquorum."

7 Respondit illa: "Quid si pars aliqua regni donacione aliqua alienaretur a regno, numquid a successore non repetendum esset?" **8** Cui Deus: "In regno quodam," inquit, "seruabatur corona pertinens ad regem. Populus itaque considerans se non posse stare sine rege elegerunt sibi regem, tradentes coronam regi electo custodiendam et reconsignandam regi futuro. **9** Si igitur iste rex sic electus aliquam partem de corona alienare vel minuere vellet, certe rex futurus repetere posset et deberet, quia nulla diminuicio debet esse in corona, **10** nec rex diminuere vel alienare potest coronam regni, nisi forte racionabili causa ad dies suos. Quid enim est corona regni nisi potestas regalis? Quid vero regnum nisi populus ei subiectus? **11** Quid vero rex nisi mediator et conseruator regni et populi? Ergo conseruator et defensor corone nequaquam dimidiare debet vel minuere coronam in preiudicium futuri regis."

12 Respondit sponsa: "Quid si rex ex necessitate seu violencia cogeretur alienare partem corone?" **13** Cui Deus: "Si," inquit, "duo homines essent discordantes, alterque potencior nollet dare gratiam, nisi abscideretur digitus alterius, cuius esset digitus abscisus nisi eius qui dampnum passus est? **14** Sic est eciam de regno. Si rex aliquis de necessitate et captiuitate diminueret partem aliquam de regno, certe rex futurus repetere potest, quia rex non dominus corone est sed rector, nec necessitas facit legem."

15 Respondit illa: "Quid si rex alicui domino concessisset ad dies suos partem aliquam corone, mortuoque rege dominus ille et successores sui detinerent concessa tamquam propria, numquid repetenda essent?" **16** Cui Dominus: "Utique terra illa redire debet ad legittimum possessorem."

17 Respondit illa: "Quid si pars corone impignorata esset alicui propter debita, illoque leuatis fructibus multis annis mortuo terra postea veniret in manus alterius, **18** qui nullam iusticiam haberet ad terram, ex eo quod nec concessa ei fuisset nec pignorata, sed occasione quadam occupasset illam nec dimittere vellet nisi accepta pecunia, quid faciendum esset?" **19** Cui Dominus: "Si," inquit, "aliquis haberet globum aureum in manu et diceret astanti: 'Globus,' inquit, 'iste tuus est; si rehabere intendis, da michi tot libras,' **20** certe sibi dari deberent tot libre, quia ubi potestatiue aliqua terra occupata est et pacifice possessa, sapienter repetenda est et computatis dampnis reducenda. **21** Nunc autem sicut rex electus, eleuatus super lapidem quendam ad spectaculum populi, designat dominium se habere et possessionem in partibus regni superioribus, **22** ita eciam terra ista in partibus inferioribus et iure hereditario et empacione et redempcione pertinet ad regnum. Ideo rex obtenta conseruet, ne forte, si aliter fecerit, et dominium perdet et sub corona reducetur."

23 Iterum respondit illa: "O, Domine, ne indigneris si adhuc quero semel. Iste rex habet duos filios et duo regna. In altero regno eligitur rex iure hereditario, in altero secundum fauorem populi. **24** Nunc autem contrarium factum est: nam filius iunior assumptus est in regnum hereditarium, maior vero in regnum quod per eleccionem debetur." **25** Respondit Deus: "In electoribus eorum tria erant inconuenientia et quartum superexcellit: inordinatus amor, prudencia simulata, adulacio stultorum et diffidencia de Deo et communitate. **26** Ideo eleccio eorum fuit contra iusticiam, contra Deum, contra bonum rei publice et utilitatem communitatis. **27** Propterea ad prouidendum paci et consulendum utilitati communitatis necesse est, quod senior filius recipiat regnum hereditarium, iunior vero ad eleccionem veniat. **28** Alioquin, nisi retractentur priora facta, regnum pacietur dispendium, communitas affligetur, discordia orietur, dies filiorum erunt in amaritudine, **29** regnaque eorum iam non erunt regna sed sicut scriptum est: 'Potentes transmigrabunt a sedibus suis, et qui ambulabant in terris eleuabuntur.'

30 Ecce dico tibi exemplum de duobus regnis; in uno est eleccio, in alio est hereditas. Primum, ubi eleccio est, destructum et afflictum est, quia verus heres non eligebatur; et hoc fecerunt partes eligencium et cupiditas ambientis regnum. **31** Ergo Deus non affligit filium pro peccatis patris nec in eternum irascitur, sed iusticiam facit et seruat in terris et in celis. **32** Ideo regnum illud non veniet ad priorem gloriam et feliciorem statum, donec verus heres consurget aut ex paterna successione aut materna."

*Verba Dei ad sponsam de duobus spiritibus, scilicet bono et malo; et de mirabili et utili bello in mente
cuiusdam domine orto ab inspiracionibus boni spiritus et a temptationibus maligni spiritus; et quid in istis
sit eligendum. Capitulum III.*

1 Deus loquitur sponse: "A duobus spiritibus suggestur et infunduntur cogitationes et infusiones in cordibus hominum, a bono spiritu scilicet et a malo. **2** Bonus nempe spiritus suadet homini celestia futura cogitare et temporalia non amare. Spiritus malus suadet diligere que videt, leuitat peccata, allegat infirmitates, proponit exempla infirmorum. **3** Ecce dico tibi exemplum, quomodo uterque spiritus inflammat cor illius domine tibi note. Spiritus quippe bonus dicit ei ista, suggestens ea cogitationibus suis: **4** 'Diuicie,' inquit, 'sunt onerose, honor mundi quasi aer et delectabilia carnis quasi sompnium, leticia transitoria et omnia mundalia vanitas, iudiciumque futurum ineuitabile et tortor nimis durus. **5** Ideo videtur michi esse nimis durum strictam tenere computacionem pro diuiciis transitoriis, spirituale dedecus reportare pro aere, longam tribulacionem sustinere pro delectamento momentaneo, **6** eique racionem reddere cui omnia sunt nota, antequam fiant. Propterea tucus est dimittere multa et facere minorem computacionem quam multis inuolui multumque computare.'

7 Respondit econtra inspiracionibus malus spiritus: 'Dimitte,' inquit, 'tales cogitationes, quia Deus mitis est et faciliter placatur. Posside bona audacter, da que possides largiter. **8** Ad hoc enim nata es, ut habeas diuicias; ideoque tibi diuicie date sunt, ut lauderis et tribuas te petenti. Si enim dimittis diuicias, seruies hiis qui tibi seruerunt, minuetur honor tuus et augetur despeccio, **9** quia persona pauper vadit sine consolacione, durumque est tibi nouis assuisci consuetudinibus, alienis domare carnem moribus et sine seruicio viuere. **10** Ideo stabilis esto in homine accepto, tene statum tuum regaliter, dispone domum tuam laudabiliter, ne, si mutaueris statum tuum, arguaris inconstancie; sed mane in inceptis et eris apud Deum et homines gloria.'

11 Iterum spiritus bonus suadet menti illius domine ista dicens: 'Scio duo esse eterna, celum scilicet et infernum. Omnis enim qui Deum diligit super omnia non intrabit in infernum. **12** Qui vero non diligit Deum non habebit celum. Per viam igitur ad celum incessit ipse Deus factus homo confirmauitque eam signis et morte. Quam gloria sunt celestia, quam amara dyabolica malicia et quam vana sunt terrena! **13** Ipsorumque Deum imitati sunt Mater eius et omnes sancti, qui omnem penam sustinere omniaque amittere magis voluerunt, ymmo eciam seipso contempserunt, ne perderent celestia et eterna. **14** Ideo tucus est dimittere honorem et diuicias tempestue quam in finem eas tenere, ne forte crescente dolore in extremis decrescat memoria delictorum, illique rapient ea, que congregaueram, qui de salute mea nichil curant.'

15 Respondit ei econtra mala infusio: 'Dimitte,' inquit, 'ista cogitare. Nos sumus homines infirmi, Christus vero Deus et homo. Non debemus equiparare opera nostra ad opera sanctorum, quibus et maior gracia et familiaritas erat cum Deo. **16** Sufficiat nobis sperare celum et iuxta infirmitatem nostram viuere et peccata nostra elemosinis et oracionibus redimere. Puerile namque est et insipientium insolita assumere, et ea non posse consumare.'

17 Iterum respondit bona infusio: 'Indigna sum,' inquit, 'assimilari sanctis, sed tamen tutum est valde conari ad perfeccionem paulatim. Quid namque obest aggredi insolita? Potens enim est Deus dare adiutorium. **18** Sepe autem contingit, quod viam domini potentis et diuitis sequitur pauper aliquis. Et licet dominus cicias peruererit ad hospicium delicatisque cibis fruitur et in molli quiescit lecto, **19** pauper tamen ad idem hospicium peruenit, licet tarde, et tamen ibidem reliquiis ciborum domini participatur; qui, nisi viam domini secutus fuisset hospiciumque domini requisisset, cibis domini usus non fuisset.

20 Sic et ego dico nunc, quod quamvis indigna sim similari sanctis, tamen volo aggredi viam post eos, ut saltim possim participari meritis eorum. **21** Nam duo sunt que sollicitant me in animo: primo quod si mansero in patria, superbia dominatur michi, amor parentum, qui iuuari petunt, deprimit mentem meam, superfluitas familie et vestium est michi onerosa. **22** Ideo delectat me et consulcius est descendere de sede superbie et peregrinando humiliare corpus meum quam manere in honoris statu et peccata peccatis accumulare. **23** Secundo sollicitat me paupertas populi et eorum clamor, quem, ubi iuuare deberem, cotidie presencia mea grauo. Ideo necessarium est michi consilium bonum.'

24 Respondit mala infusio: 'Peregrinari,' inquit, 'non est nisi inconstantis animi, cum misericordia est accepior omni sacrificio. **25** Si enim recedis de patria, cupidi homines audita fama tua spoliabunt et capient te; et tunc pro libertate sencies captiuitatem, pro diuiciis paupertatem, pro honore dedecus, pro quiete tribulacionem.' **26** Respondit iterum inspirando spiritus bonus: 'Audiui,' inquit, 'quendam captiuum positum in turrim, qui maiorem consolacionem habuit in captiuitate et tenebris quam umquam prius habuit in abundancia et consolacione temporali. **27** Ideo, si placet Deo me tribulari, erit michi in maius meritum. Ipse enim pius est ad consolandum et promptus ad subueniendum, maxime si non egredior de patria nisi propter peccata mea et ad promerendam diuinam caritatem.'

28 Respondit iterum mala infusio: 'Quid,' inquit, 'si indigna fueris consolacione diuina et fueris impaciens ad paupertatem et humilitatem? **29** Tunc enim penitebit te assumpsisse rigorem; tunc habebis baculum in manibus pro annulo, panniculum in capite pro corona et vilem saccum pro purpureo indumento.' **30** Respondit iterum bonus spiritus: 'Audiui,' inquit, 'quod sancta Elizabeth, filia regis Ungarie, delicate enutrita et nobiliter nupta magnam sustinuit paupertatem et deiectionem. **31** Que maiorem consolacionem obtinuit in paupertate a Deo et sublimiore coronam, quam si mansisset in omni honore mundi et eius consolacione.'

32 Iterum respondit mala inspiracio: 'Quid,' inquit, 'facies, si tradiderit te Deus in manus hominum fuerisque violata in corpore? **33** Numquid pre pudore subsistere poteris? Numquid non inconsolabiliter dolebis de pertinacia tua, totaque generacio tua scandalizata lugebit? **34** Tunc certe consurget tibi impaciencia, tunc anxietas in corde et ingratitudo ad Deum. Tunc optabis finiri dies tuos; et cum in ore omnium fueris diffamata, numquid audebis apparere?' **35** Iterum respondit bona cogitacio: 'Audiui ex scriptura, quod virgo beata Lucia, ducta ad lupanar, constans in fide et confidens de bonitate Dei dixit: "Quantumcumque vexatur corpus meum, nichilominus virgo sum, et duplicabitur michi corona." **36** Cuius fidem respiciens Deus seruauit eam illesam. Sic ego dico: Deus, qui neminem permittit temptari supra vires, custodiat animum meum, fidem et voluntatem meam. Ego enim totam me ei committo; fiat eius voluntas de me.'

37 Ergo, quia domina illa hii pulsatur cogitationibus, ideo admoneo eam de tribus. Primo, quod reducat ad memoriam, ad qualem honorem est electa; secundo, qualem caritatem Deus ei in coniugio suo ostenderat; tertio, quam benigne in hac mortalitate est seruata. **38** Iterum incauto eam de tribus. Primo, quod rationem redditura est Deo de omnibus bonis suis temporalibus, adhuc eciam de quolibet obulo, quomodo scilicet leuatus est et erogatus; **39** secundo, quod tempus suum valde est breue, et nesciet antequam cadat; tertio, quod Deus non parcit plus domine quam ancille.

40 Ideo consul eo tria. Primo penitere de commissis, emendare fructuose confessa, Deum diligere toto corde. Secundo consul fugere rationabiliter penam purgatorii. **41** Sicut enim qui non diligit Deum toto corde dignus est magno supplicio, sic qui non emendat peccata, cum potest, dignus est purgatorio. **42** Tercio consul dimittere amicos carnales ad tempus propter Deum, et venire ad locum ubi compendium est inter celum et mortem ad fugiendam penam purgatorii, **43** quia ibi sunt indulgencie, que sunt eleuaciones et redempciones animarum, quas sancti pontifices dederunt et sancti Dei sanguine suo promeruerunt."

Verba beati Petri ad sponsam de desiderio quod habuit ad saluandas gentes; et qualiter informat sponsam ad memoriam obtainendam et de magnis mirabilibus, que adhuc in urbe Romana debent adimpleri vel compleri. Capitulum V.

1 Beatus Petrus loquitur spose Christi: "Tu, filia, comparasti me aratro, quod facit sulcos latos et extirpat radices. Hoc utique verum fuit. **2** Nam sic ferauens contra via fui et ad mores accensus, quod si totum mundum potuissem ad Deum conuertisse, nullatenus pepercissem vite mee nec labori. **3** Ipse quippe Deus dulcis michi fuit in cogitatu, dulcis in locucione, dulcis in operacione, in tantum quod omnia erant michi amara ad cogitandum preter Deum. Attamen ipse Deus eciam michi amarus fuit, non ex se sed ex me ipso. **4** Nam quociens cogitabam, quantum deliqui et quomodo eum negaueram, fleui amare, quia noueram iam perfecte amare et fuerunt michi lacrime mee delectabiles tamquam cibus dulcis.

5 Quod vero rogas me dare tibi memoriam, respondeo tibi: Numquid non audisti, quam obliuiosus ego fui? Ego quippe plene instructus viam Dei iuramento me obligauit ad standum et moriendum cum Deo, sed interrogatus ad verbum unius mulieris negauit veritatem. **6** Et quare? Quia tunc reliquit me Deus michi ipsi et ego ipse me ipsum non agnoscebam. Sed quid feci ego tunc? Considerauit quippe me ipsum, quod nichil eram ex me. **7** Et surrexi et cucurri ad veritatem, Deum, qui tantum memorie nominis sui impressit cordi meo, quod nec coram tyrannis nec inter flagella seu in morte poteram eum obliuisci.

8 Sic igitur fac et tu: Surge per humilitatem ad magistrum memorie et pete ab eo memoriam. Ipse enim est solus, qui omnia potest. Ego vero iuuabo te, ut particeps fias granorum, que ego posui super terram.

9 Insuper dico tibi, quod ciuitas ista Rome ciuitas erat pugilum, cuius platee strate auro et argento. Nunc autem lapides eius saphirei versi sunt in lutum, habitatores eius paucissimi, **10** quorum dexter oculus erutus est, dextera manus abscisa, bufonesque et vippere habitant cum eis, pro quorum veneno animalia micia non audent apparere nec pisces mei eleuare caput.

11 Ideo adhuc in eam pisces congregabuntur; et si non ita multi ut olim, erunt tamen eque dulces et audaces, in tantum quod ex eorum collisione descendent bufones et rane et serpentes mutabuntur in agnos et leones erunt ut columbe ad fenestras suas.”

12 Item addit: ”Dico tibi amplius, quod adhuc in diebus tuis audietur: ‘Viuat vicarius Petri!’ Et videbis eum oculis tuis. Fodiam enim montem deliciarum et descendant sedentes in eo. **13** Qui autem beniuole noluerint descendere venient compulsi contra spem omnium, quia exaltari vult Deus cum misericordia et veritate.”

Narracio optima beati Pauli ad sponsam, qualiter precibus beati Stephani fuerit a Deo vocatus et de lupo agnus effectus; et qualiter est bonum orare pro omnibus. Capitulum VI.

1 Loquitur beatus Paulus sponse Christe dicens: ”Tu, filia, comparasti me leoni, qui inter lupos nutritus fuerat, sed de lupis mirabiliter eruptus est. Vere, filia, lupus rapax ego eram, sed de lupo fecit me Deus agnum; et hoc propter duo. **2** Primo propter magnam suam caritatem, qui de indignis facit vasa sua et de peccatoribus amicos suos. Secundo propter preces beati Stephani protomartiris.

3 Nam ostendere tibi volo, quomodo et in qua intencione tunc fui, quando lapidatus fuit Stephanus, et quare merui preces eius. **4** Ego quippe non gaudebam nec delectabar de pena beati Stephani nec inuidiebam glorie eius, sed tamen cupiebam eum mori, eo quod iuxta intencionem meam non videbam ipsum habere fidem veram. **5** Cumque viderem eum ultra modum feruentem et pacientem ad passionem ferendam, vehementer dolui ipsum esse infidelem, cum reuera ipse esset fidelissimus et ego totus cecus et infidelis. **6** Et compaciendo ei rogaui orando ex toto corde, quod pena sua amara proficeret ei ad gloriam et coronam.

7 Propterea cumprimis profecit michi oracio eius, quia per oracionem ipsius de multis lupis eruptus sum et factus mansuetus agnus. Ideo bonum est orare pro omnibus, quia illis proficit oracio iusti, qui propinquiores et apcoiores sunt ad recipiendum graciam. **8** Sed nunc conqueror, quod vir iste tam eloquens inter doctores et tam paciens inter lapidantes nimis oblitus et neglectus est a cordibus multorum et maxime ab hiis, qui ei nocte ac die tenerentur assistere. **9** Hii enim portant ei vasa sua confracta et vacua, lutosa et abhominabilia. Ideo sicut scriptum est, induentur ‘confusione dupli et rubore’ et eiciuntur a domibus voluptatis.”

Visio mirabilis et notanda de quadam anima iudicanda et de Dyaboli accusacionibus et virginis gloriose aduocationibus et de exposicione ipsius visionis, in qua celum per palacium, Christus per solem, virgo per

mulierem, Dyabolus per Ethiopem, angelus per militem designantur; et in qua duo loca penarum irremediabilia et tria remediabilia computantur et multa alia mirabilia et quam maxime de suffragiis.

Capitulum VII.

1 Uni persone vigilanti in oracione et non dormienti videbatur in spirituali visione, quasi videret palacium incomprehensibile magnitudine, in quo erant innumerabiles vestiti vestibus albis et fulgidis, quorum quilibet videbatur habere sedem propriam. **2** In palacio vero principaliter stabat una sedes iudicaria, in qua erat quasi sol; et splendor qui de sole procedebat erat incomprehensibilis in longitudine, profunditate et latitudine. **3** Virgo quoque una stabat iuxta sedem habens preciosam coronam in capite, omnesque seruiebant soli sedenti in sede, laudantes eum in ympnis et canticis.

4 Deinde videbatur quidam Ethiops, terribilis in aspectu et gestibus, quasi plenus inuidia et accensus ira magna, qui loquendo clamauit: "O, iuste iudex, iudica michi animam et audi opera eius! Modicum enim iam restat de vita eius. Permitte quoque michi punire corpus cum anima, donec abinuicem separantur." **5** Quibus dictis videbatur michi quod unus stabat coram sede quasi miles armatus, pudicus et sapiens in verbis modestusque in gestibus suis, qui dixit: "O, iudex, ecce hic sunt bona opera eius, que gessit usque ad hanc horam."

6 Et statim audiebatur vox de sole sedente in sede: "Hic," inquit, "vicium maius est quam virtus, nec est iusticia quod vicium summe virtuti coniungatur." **7** Respondit Ethiops: "Ergo," inquit, "iusticia est ut anima ista coniungatur michi. Si enim ipsa vicium aliquod habet in se, sic et in me nequicia est omnis." **8** Respondit miles: "Misericordia Dei quamlibet personam sequitur usque ad mortem et usque ad ultimum punctum et postea fit iudicium. In isto vero homine, de quo loquimur, adhuc coniuncta sunt anima et corpus et discrecio manet in eo."

9 Respondit Ethiops: "Scriptura dicit, que mentiri non potest: 'Diliges Deum super omnia et proximum tuum sicut te ipsum'. Vide ergo, quod omnia opera istius facta sunt ex timore non ex caritate, sicut debuit, **10** omniaque peccata eius, de quibus confessus est, inuenies confessa cum modica contritione. Ideo promeruit infernum, quia demeruit regnum celorum, et ideo peccata eius sunt hic manifesta apud iusticiam diuinam, **11** quia numquam adhuc obtinuit contritionem ex diuina caritate peccatorum suorum commissorum." Respondit miles: "Ipse utique sperauit et credit obtinere contritionem veram ante mortem."

12 Cui Ethiops: "Tu," inquit, "congregasti omnia, quecumque bene fecit, omniaque verba et cogitatus ad salutem anime eius nosti. **13** Omnia," inquit, "ista, quecumque sunt, non possunt assimilari gracie illi, que est contricio ex diuina dileccione cum sancta fide et spe, et minus delere possunt omnia peccata sua. **14** Nam iusticia ab eterno in Deo est, quod nullus peccator ingreditur celum, qui non habuerit perfectam contritionem, et ideo impossibile est quod Deus iudicet contra disposicionem prescritam ab eterno. **15** Ergo anima ista iudicanda est ad infernum et mecum ad eternam penam coniungenda." Quibus dictis miles tacuit nichil respondens ad eius verba.

16 Post hec videbantur demones innumerabiles, similes discurruntibus scintillis ex feruenti igne et clamabant una voce, dicentes ei qui sedebat in sede quasi sol: **17** "Nos," inquiunt, "scimus, quod tu unus es Deus in tribus personis et eras sine principio et es sine fine, nec est alias deus nisi tu. Tu vere es ipsa caritas cui coniuncta sunt misericordia et iusticia. **18** Tu fuisti in te ab inicio, nichil habens diminutum in te nec

transmutabile sicut decet Deum. Extra te nichil est et nichil extra te, quod gaudium habeat. **19** Ideo caritas tua fecit angelos ex nulla alia materia nisi a deitatis tue potentia; et fecisti sicut misericordia dictabat. **20** Sed postquam nos intus accensi fuimus superbia, inuidia et cupiditate, tua caritas diligens iusticiam eiecit nos de celo cum igne malicie nostre in abyssum incomprehensibilem et tenebrosam, que vocatur nunc infernus. **21** Sic fecit caritas tua tunc, que nec separabitur adhuc de iusticie tue iudicio, siue fiat secundum misericordiam siue secundum equitatem. **22** Plus dicimus: si res illa quam pre omnibus diligis, que est virgo que te genuit et que numquam peccauit, si, inquam, illa peccasset mortaliter et sine contritione diuina mortua fuisset, **23** sic diligis iusticiam, quod anima eius numquam obtineret celum sed esset nobiscum in inferno. Ergo, o iudex, cur non iudicas animam istam nobis, ut puniamus eam secundum opera sua?"

24 Post ista audiebatur sonitus quasi tube, quem qui audiebant tacuerunt, et statim quedam vox loquebatur dicens: "Silete et auscultate, omnes vos angeli et anima et demonia, quid Mater Dei loquitur!" **25** Et statim ipsa virgo ante sedem iudicii apparens et habens sub mantello suo quasi occulte res alias magnas dixit: "O, o inimici! Vos persequimini misericordiam et cum nulla caritate diligitis iusticiam. **26** Licet in operibus bonis hic appareaⁿt defectus, pro quibus hec anima non debet obtinere celum; videte tamen quid ego habeo sub mantello meo!" Cumque virgo ambas aperuisset sinus mantelli, apparuit sub una quasi quedam modica ecclesia, in qua aliqui monachi videbantur. **27** Sub alia vero sinu apparuerunt mulieres et viri amicique Dei religiosi et alii; et omnes una voce clamabant dicentes: "Miserere, misericors Domine!"

28 Deinde factum est silencium, et virgo loquebatur dicens: "Scriptura dicit: Qui habet fidem perfectam potest per eam montes transferre in mundo. Quid ergo tunc possunt et debent voces istorum facere, qui et fidem habuerunt et seruierunt Deo cum feruenti caritate? **29** Quid vero illi amici Dei facturi sunt, quos iste rogauit orare pro se, ut posset separari ab inferno et obtinere celum, nec pro bonis operibus suis aliam remuneracionem quesiuist nisi celestia? **30** Numquid non possunt et valent omnes eorum lacrime et preces apprehendere et eleuare eum, ut obtineat ante mortem suam diuinam contritionem cum caritate? **31** Insuper et ego addam preces meas cum oracionibus omnium sanctorum qui in celo sunt, quos iste specialiter honorabat."

32 Et iterum adiecit virgo: "O," inquit, "demones, precipio vobis ex potestate iudicis attendere ad illa que in iusticia nunc videtis." **33** Tunc omnes responderunt quasi ex uno ore: "Nos," inquiunt, "videmus, quod in mundo modica aqua et aer magnus placant iram Dei. Sic et tua oracione placatur Deus ad misericordiam cum caritate." **34** Post hec audit a vox de sole dicens: "Propter preces amicorum meorum obtinebit iam ille diuinam contritionem ante mortem, in tantum quod non veniat in infernum, sed purgabitur cum illis qui grauiorem penam habent in purgatorio. **35** Purgata vero anima mercedem habebit in celis cum illis qui in terris fidem et spem habuerunt cum minima caritate." Quibus dictis demones fugierunt.

36 Deinde sponse videbatur quod quasi locus quidam terribilis et tenebrosus aperiebatur, in quo apparuit fornax ardens intus. Et ignis ille nichil aliud habebat ad comburendum nisi demones et viuentes animas. **37** Supra vero fornacem istam apparuit anima illa, cuius iudicium iam in superioribus auditum est. Pedes vero anime affixi fuerunt fornaci, et anima stabat erecta quasi persona una. **38** Non autem stabat in altissimo loco nec in infimo, sed quasi in latere fornacis, cuius forma erat terribilis et mirabilis. Ignis vero fornacis videbatur se trahere sursum infra pedes anime, **39** sicut quando aqua trahit se sursum per fistulas, et violenter comprimendo se ascendebat super caput, in tantum quod pori stabant sicut vene currentes cum ardenti igne. **40** Aures autem videbantur quasi sufflatoria fusorum, que cerebrum totum cum continuo flatu commouebant. Oculi vero euersi apparebant et immersi et videbantur ad occiput intus esse affixi. **41** Os quoque erat apertum et lingua extracta per aperturas narium et dependebat ad labia. Dentes autem erant

quasi clavi ferrei affixi per palatum. Brachia vero ita longa erant, quod tendebant ad pedes. **42** Manus quoque ambe videbantur habere et comprimere quandam pinguedinem cum ardenti pice. Cutis vero, que apparebat supra animam, videbatur habere formam pellis supra corpus et erat quasi linthea vestis circumfusa spermate. **43** Que quidem vestis sic erat frigida, quod omnis qui videbat eam contremuit, et de illa procedebat sicut sanies de ulcere cum corrupto sanguine et fetor ita malus, quod nulli pessimo fetori in mundo posset assimilari.

44 Visa itaque ista tribulacione audiebatur vox de illa anima, que dixit quinque vicibus ve ve, clamans cum lacrimis totis viribus suis. **45** "Primo," inquit, "ve michi, quia sic modicum dilexi Deum pro maximis virtutibus eius et gracia michi data. Secundo ve michi, quia non timui iusticiam Dei, sicut debui. **46** Tercio ve michi, quia dilexi corporis et carnis mee peccataris voluptatem. Quarto ve michi propter mundi diuicias et superbiam meam. Quinto ve michi, quia umquam vidi vos, Lodouicum et Iohannam."

47 Et tunc dixit angelus michi: "Ego," inquit, "volo tibi exponere visionem istam. Palacium istud quod vidisti est similitudo celi. Multitudo vero illorum qui erant in sedibus vestiti vestibus albis et fulgidis sunt angeli et sanctorum anime. **48** Sol vero significat Christum in deitate sua; mulier autem virginem, que Deum genuit; Ethiops vero Dyabolum, qui animam accusat; miles angelum, qui bona opera anime dicit illi. **49** Fornax vero notat infernum, qui est intus sic ardens, quod si totus mundus arderet cum omnibus que in eo sunt, non esset simile magnitudini fornacis illius. **50** In isto vero fornace audiuntur voces diuerse, omnes loquentes contra Deum omnesque inchoantes voces suas cum ve et similiter finientes. Apparentque anime quasi persone, quarum membra extenduntur inconsolabiliter, numquam habentes requiem.

51 Scito eciam, quod ignis, qui videbatur tibi in fornace, ardet in eternis tenebris, et anime in eo ardentes non habent omnes equalem penam. **52** Tenebre vero, que apparuerunt in circuitu fornacis, vocatur limbus et procedit de tenebris, que sunt in fornace; et sunt tamen ambo unus locus et unus infernus: quicumque illuc venerit numquam habebit cum Deo mansionem.

53 Supra vero tenebras istas est pena maxima purgatorii, quam anime possunt sustinere; et ultra locum istum est locus alius, ubi minor est pena, que non est alia nisi defectus virium in fortitudine et pulchritudine et consimilibus, **54** sicut per simile dico, quasi si aliquis esset infirmus et cessante infirmitate vel pena nichil haberet de viribus, donec paulatim recuperaret.

55 Tercius vero locus superior est, ubi nulla alia pena est nisi desiderium perueniendi ad Deum. Et ut melius in conscientia tua intelligas, dico tibi per similitudinem, **56** quasi si es misceretur et arderet cum auro in igne ardentissimo, et tam diu deberet depurgari, donec es consumeretur et aurum remaneret purum. **57** Quanto vero es forcitus et spissius es, tanto ardencior igne indigeret, donec aurum esset quasi aqua currens et totum ardens. **58** Deinde magister eius profert aurum in locum alium, ubi obtineat veram formam in visu et tactu; postea mittit in tertium locum, ubi custodiatur et presentetur possessori.

59 Sic est eciam spiritualiter. In primo loco supra tenebras est maxima pena purgatorii, ubi vidisti illam supradictam animam purgari. Ibi est demonum tactus; ibi per similitudinem apparent venenosi vermes et similitudo animalium ferocium; **60** ibi calor est et frigus; ibi tenebre et confusio, que procedunt de pena que est in inferno; ibi quedam anime habent minorem penam, quedam maiorem, iuxta quod peccata emendata erant vel non eo tempore, quo anima cum corpore mansit.

61 Deinde magister, id est iusticia Dei, profert aurum, id est animas, in alia loca, ubi non est nisi defectus virium, in quibus anime tam diu morabuntur, **62** donec refrigerium habebunt vel de specialibus amicis suis

vel de sancte ecclesie continuis operibus: nam anima, quo maius auxilium habebit de amicis, eo cicius conualescit et liberabitur de illo loco. **63** Post hec autem anima fertur in locum tertium, ubi non est pena nisi desiderium perueniendi ad Dei presenciam et eius visionem beatam. **64** In hoc loco morantur multi et nimis diu, preter illos qui, in mundo dum vixerunt, perfectum desiderium habuerunt perueniendi ad Dei presenciam et eius visionem.

65 Scito eciam, quod multi moriuntur in mundo ita iusti et innocentes, quod statim perueniunt ad presenciam et visionem Dei, **66** quidam vero peccatis suis cum bonis operibus sic emendatis, quod anime eorum nullam sencient penam; sed pauci sunt qui non veniunt in locum ubi est desiderium perueniendi ad Deum. **67** Ideo omnes anime in istis locis tribus morantes participantur sancte ecclesie precibus et bonis operibus que fiunt in mundo: precipue que fecerunt dum vixerunt et [eorum] que fiunt ab amicis eorum post mortem.

68 Scito eciam, quod sicut peccata sunt multiformia et diuersa, sic eciam pene sunt multiplices et diuerse. Ideo, sicut esuriens gaudet de pasticulo venienti ad os eius, **69** siciens de potu, tristis letatur de gaudio, nudus de veste, infirmus in veniendo ad lectum, sic anime gaudent et participantur hiis bonis, que fiunt pro eis in mundo.” **70** Deinde subiunxit angelus: ”Benedictus sit ille qui in mundo iuuat animas oracionibus et bonis operibus laboreque corporis sui, **71** quia iusticia Dei mentiri non potest, que dicit, quod anime aut purgari debent post mortem pena purgatorii, aut operibus bonis amicorum cicius solui.”

72 Post hec de purgatorio audiebantur multe voces dicentes: ”O, Domine Iesu Christe, iuste iudex, mitte caritatem tuam hiis qui spiritualiter potestatem habent in mundo; tunc plus participari poterimus quam nunc de eorum cantu, leccione et oblacione.”

73 Supra vero spacium istud de quo clamor iste audiebatur, videbatur quasi domus, in qua multe voces audiebantur dicentes: ”Merces sit illis a Deo qui mittunt nobis auxilium in defectibus nostris!” **74** In ipsa quoque domo videbatur quasi aurora procedere, subtus vero auroram apparuit nubes, que nichil habebat de luce aurore, de qua vox maxima processit dicens: **75** ”O, Domine Deus, da de tua incomprehensibili potestate unicuique centesimam remuneracionem in mundo hiis, qui nos eleuant cum bonis operibus in tue deitatis lucem et tue faciei visionem!”

*Verba angeli ad sponsam de intencione pene anime a Deo in superiori capitulo iudicate; et de remissione
eciam pene ipsius, quia ante eius mortem inimicis pepercit. Capitulum VIII.*

1 Item loquitur angelus dicens: ”Illa anima, cuius disposicionem vidisti et iudicium audisti, ipsa est in grauissima pena purgatorii. Et hoc ideo est, quia non intelligit utrum veniet ad requiem post purgacionem, an dampnata sit. **2** Et hec iusticia Dei est, quia ipse habuit conscientiam seu discretionem magnam, qua utebatur ad mundum corporaliter et non ad animam spiritualiter, quia nimis oblitus est et neglexit Deum quamdiu vixit.

3 Ideo nunc anima eius patitur ardorem de igne et contremiscit de frigore; ipsa est ceca de tenebris et de demonum visu horribili timorosa, surda de clamore Dyaboli, esuriens et siciens intus et ab extra vestita cum confusione. **4** Attamen Deus dedit ei unam gracię post mortem, quod scilicet non veniret ad tactum

demonum. Quia propter solum honorem Dei pepercit et dimisit grauia delicta capitalibus inimicis suis et fecit amiciciam cum capitali inimico suo.

5 Scito eciam, quod quidquid boni fecit et quidquid promisit et dedit de bene acquisitis diuiciis et maxime preces amicorum Dei minuunt et refrigerant penam eius, iuxta quod diffinitum est in iusticia Dei. **6** Alia vero bona minus bene acquisita, que dedit, proficiunt hiis spiritualiter qui iuste antea possidebant ea, aut corporaliter, si sint digni iuxta dispositionem Dei.”

*Verba angeli ad sponsam de iudicio Dei iusticie contra animam supradictam; et de satisfaccione fienda in
hac vita pro ipsa existente in purgatorio. Capitulum IX.*

1 Item loquitur angelus: ”Tu prius audisti, quod propter preces amicorum Dei ille obtinuit diuinam contricionem ex caritate pro peccatis modicum ante mortem, que contricio separauit eum ab inferno. **2** Ideo post mortem iudicauit iusticia Dei, quod deberet per sex etates ardere in purgatorio – quas habuit ab illa hora qua primum scienter mortale peccatum fecit, usque dum ex diuina caritate penituit fructuose – nisi de mundo et amicis Dei auxilium obtineret.

3 Prima itaque etas fuit, quod non dilexit Deum propter nobilis corporis eius mortem et propter tribulaciones eius multiformes, quas et ipse Christus tolerauit, non propter aliam causam nisi propter salutem animarum. **4** Secunda etas fuit, quod non dilexit animam propriam, sicut Christianus debet, nec regraciabatur Deo pro baptismo suo et ex eo, quod non erat Iudeus vel paganus. **5** Tercia etas fuit, quod bene sciuit, que Deus precipit facere, et ad hec perficienda modicam habuit voluntatem. **6** Quarta etas fuit, quod bene sciuit, que Deus prohibuit hiis qui ad celum vellent ire, et audacter fecit contra illa, sequens non conscientie sue stimulos sed suum carnalem affectum et voluntatem. **7** Quinta etas fuit, quod non usus est gracia et confessione, sicut ad illum pertinebat, cum habuit tam longum tempus. **8** Sexta etas fuit, quod modicum curabat de corpore Christi, nolens illud frequenter recipere, quia a peccato continere noluit nec caritatem recipere corpus Christi antequam in fine vite.”

9 Post ista apparuit quidam quasi homo modestus valde in visu, cuius vestes erant albe et fulgide quasi alba sacerdotalis, cinctus zona linea et stola rubea ad collum et subtus brachia eius. **10** Qui inchoabat verba sua isto modo: ”Tu, que hec vides, attende et nota et memorie tue commendata, que vides et que dicuntur tibi. Vos quippe, qui estis in mundo viuentes, non valetis eo modo intelligere potentiam Dei et eius ante tempora constitucionem **11** sicut nos, qui cum eo sumus, quia illa que apud Deum sunt in unico puncto, hec apud vos comprehendi non possunt nisi cum verbis et similitudinibus iuxta mundi dispositionem. **12** Ego itaque sum unus de illis quem iste homo iudicatus ad purgatorium honorauit cum donis suis in vita sua. Ideo dedit michi Deus ex gratia sua, quod si aliquis vellet facere que moneo, tunc anima istius transferri posset in sublimiorem locum, **13** ubi obtineat veram suam formam et nullam aliam penam senciat, nisi sicut ille pateretur, qui magnum morbum habuisse et omnes dolores abessent iaceretque quasi homo sine viribus, attamen ex hoc gauderet, quod pro certissimo sciret se ad vitam peruenturum.

14 Propterea sicut tu audisti, quod anima istius clamauit quinque vel, ideo quinque dico consolatoria sibi. Primum vel fuit, quod Deum modicum dilexit. **15** Ideo ut ab isto liberetur, dentur pro anima eius XXX calices, in quibus Dei sanguis offeratur et ipse Deus magis honoretur. **16** Secundum vel fuit, quod non timuit Deum. Ideo pro isto absoluendo eligantur XXX sacerdotes, deuoti iudicio hominum, quorum quilibet

dicat XXX missas, quando possunt: **17** IX de martiribus, IX de confessoribus, IX de sanctis omnibus, vicesimam octauam de angelis, vicesimam nonam de sancta Maria, tricesimam de sancta trinitate. **18** Et omnes intente orent pro anima istius, ut ira Dei mitigetur et iusticia eius ad misericordiam flectatur.

19 Tercium ve fuit pro superbia eius et cupiditate. Ideo pro isto absoluendo recipientur XXX pauperes, quorum pedes lauentur cum humilitate et dentur eis cibaria et pecunia vestesque, quibus consolentur. **20** Quorum quilibet, tam qui lauat quam qui lauantur, roget Deum humiliter, ut propter humilitatem suam et amaram passionem suam dimittat anime istius cupiditatem et superbiam quam commisit. **21** Quartum ve fuit luxuria carnis sue. Ideo quicumque daret unam virginem in monasterium et unam viduam similiter unamque puellam in coniugium verum, dando cum eis tantum de bonis, **22** unde sufficienter ad victimum et vestitum subsistant, tunc peccatum anime istius, quod in carne commiserat, dimittet Deus, quia hee sunt tres vite quas Deus in mundo iussit stare et elegit.

23 Quintum ve fuit, quod multa peccata commisit in plurimorum tribulacione, scilicet quod totas vires adhibuit, **24** quatenus illi duo prius nominati conuenirent in coniugium, qui non minus quadam consanguinitate erant coniuneti, quam si fuissent ambo de proxima parentela. **25** Et hanc coniunctionem procurauit plus propter se ipsum quam propter regnum et sine requisitione Pape contra laudabilem sancte Ecclesie dispositionem. **26** Pro isto itaque facto multi facti fuerunt martyres, ne contra Deum et sanctam Ecclesiam seu Christianos mores talia tolerarentur.

27 Si quis igitur tale peccatum abolere volens iret ad papam dicens: 'Quidam homo tale peccatum commisit,' non exprimendo personam, 'attamen in fine penituit et obtinuit absolucionem non emendato peccato; **28** imponite igitur michi penitenciam qualemcumque vultis et tolerare possim, quia ego paratus sum pro eo peccatum illud emendare,' **29** vere, si non esset isti imposita maior penitencia nisi unum Pater Noster, valeret illi anime ad diminucionem pene in purgatorio."

Verba querimonie Christi de Romanis ad sponsam; et de crudeli sentencia contra eos a Christo illata, si in peccatis suis moriantur. Capitulum X.

1 Filius Dei loquitur hec verba dicens: "O, Roma, tu michi pro multis beneficiis malam retribucionem rependis. Ego sum Deus, qui omnia creavi meamque maximam caritatem per corporis mei durissimam mortem manifestavi, quam propria voluntate pro animarum salute sustinui. **2** Tres itaque vie sunt, quibus te adire volui, et vere in omnibus eis tu prodere me voluisti. In prima enim via lapidem magnum suspendisti super caput meum, ut me contereret. **3** In secunda via acutam lanceam posuisti, que non sineret me ad te procedere. In tercia via foueam michi fodisti, ut in eam incaute cadens suffocarer. **4** Sed ista que iam dico non corporaliter sed spiritualiter debent intelligi. Ego quidem ad habitatores Rome, qui taliter faciunt, loquor sed non ad amicos meos, qui eorum opera non sectantur.

5 Prima itaque via, qua venire solitus sum ad cor hominis, est vere timor Dei, super quem homo ingentem suspendit lapidem, **6** hoc est magnam cordis duri presumptionem, non timens iudicem, cui nemo resistere potest, sed ita in corde dicens: 'Si venerit ad me timor Dei, conteret eum presumpcio cordis mei.' **7** Secunda via, qua venio, est diuini consilii infusio, que eciam multociens aduenit predicationibus et doctrinis. Tunc nempe in hac via homo lanceam ponit contra me, dum delectabiliter peccat contra precepta mea, **8** proponens firmiter in malis suis perseverare, donec non poterit ea amplius usitare. Hec certissime

est illa lancea que non sinit ad eum venire graciam Dei. **9** Tertia autem via est illuminacio Spiritus sancti in cuiuslibet hominis corde, per quam homo intelligere potest et pensare, que et quanta pro eo feceram et qualia pro ipso passus fueram in me ipso. **10** In hac siquidem via homo profundam michi fudit foueam, sic dicens in corde suo: 'Quidquid michi libet, hoc michi sua caritate carius est; **11** sufficit enim michi de hiis, que in hac vita me delectant, cogitare.' Et sic diuina caritas una cum operibus meis quasi in profunda fouea ab eo suffocatur.

12 Vere habitatores Rome hec omnia michi faciunt et certissime verbis et operibus hec ostendunt, verba et opera mea pro nichilo reputantes michique et Matri mee ac sanctis meis in ioco et serie, in leticia et ira maledicentes et contumelias pro graciarum accionibus offerentes. **13** Illi quidem non viuunt iuxta consuetudinem Christianorum, sicut sancta Ecclesia precipit, quia maiorem caritatem non habent ad me quam demones, **14** qui magis miserias suas sustinere volunt eternaliter suamque maliciam retinere quam me videre michique in perhenni gloria adherere. **15** Sic utique sunt illi qui corpus meum nolunt accipere, quod de pane in altari, sicut ego ipse constitui, consecratur; cuius percepcio iuuat maxime contra dyabolica temptamenta. **16** O, quam miseri sunt, qui tale iuuamen, dum sani sunt, magis quam venenum respuant et abhorrent, quia nolunt se a peccatis refrenare!

17 Nunc igitur per unam viam eis incognitam veniam cum potentia deitatis mee, vindictam mee humanitatis contemptoribus inferendo. **18** Et sicut ipsi michi tria obstacula in viis suis, ne ad ipsos ingrediar, parauerunt, ita et ego alia tria ipsis parabo, quorum amaritudinem viui et mortui sencent et gustabunt. **19** Lapis itaque meus mors est subitanea et improuisa, que sic eos conteret, quod omnia que habent ad iocunditatem suam hic remanebunt et sola anima ad iudicium meum venire compelletur. **20** Lancea vero mea est iusticia mea, que ita eos a me remouebit, quod numquam gustabunt bonitatem meam, qui eos redemi, et numquam videbunt pulchritudinem meam, qui eos creaui. **21** Fouea autem mea est inferni tenebrosa obscuritas, in quam ipsi cadent, viuendo ibi in miseria sempiterna. Omnes angeli mei in celo et omnes sancti condempnabunt eos, omnes quoque demones omnesque anime in inferno maledicent eis.

22 Sed illos noto et de illis hec dico, qui ita dispositi sunt, sicut est dictum superius, siue fuerint religiosi siue seculares clerici siue layci siue mulieres siue ipsorum filii et filie, qui ad tantam deuenerunt etatem, **23** quod intelligent Deum omnia peccata vetuisse, et nichilominus tamen peccatis se implicant voluntarie, amore Dei excluso eiusque timore parupenso.

24 Verumptamen talis est michi adhuc voluntas, qualis fuit michi pendent in cruce. Idem enim sum modo qui tunc fui, quando latroni misericordiam petenti peccata omnia dimisi et celi portas aperui, **25** alteri quoque latroni me contempti inferni claustra patefeci, ubi pro peccatis suis eternaliter cruciatur."

Verba sancte Agnetis ad virginem gloriosam ipsam laudancia et benedicencia; et qualiter rogat virginem pro filia; et de responsione Domini et virginis dulci et consolatoria ad sponsam; et qualiter iste mundus per ollam designatur. Capitulum XI.

1 Agnes loquitur: "O, Maria, mater et virgo virginum. Tu merito vocari poteris aurora, quam sol verus Jesus Christus illuminavit. Sed numquid voco te auroram propter progeniem regalem aut propter diuicias et honores? **2** Nequaquam. Sed merito dicenda es aurora propter humilitatem, propter fidei illuminacionem,

propter singulare votum castitatis. Tu enim es veri solis nuncia et productua, tu iustorum leticia, tu demonum expulsio, tu consolacio peccatorum. **3** Ergo rogo te propter nupcias istas, quas Deus fecit tecum hora ista, ut filia tua stare possit in honore et amore Filii tui.”

4 Respondit Mater Dei: ”Quomodo intelligis nupcias istas? Edicito propter istam que hec audit!” Respondit Agnes: ”Tu vere utrumque mater et virgo et uxor es. **5** Nam pulcherrime facte sunt in te nupcie hora ista, cum Deus homini in te coniunctus est absque confusione et diminucione deitatis. **6** Virginitas quoque et maternitas sociate sunt illeso virginitatis pudore simulque mater et filia facta es tui creatoris. **7** Illum quippe genuisti hodie temporaliter, qui a Patre eternaliter genitus omnia cum Patre operatus est. Nam Spiritus sanctus fuit in te et extra te et circumquaque tecum; qui fecundauit te consencientem nuncio Dei. **8** Ipseque Filius Dei, qui hodie natus est de te, eciam fuit in te antequam nuncius suus perueniret ad te. Ideo fac misericordiam cum filia tua!

9 Ipsa enim similis est illi paupercula mulieri, que in conualli nichil habebat nisi modicum viuidum, utputa gallinam vel anserem; que ad dominum, qui in monte vallis habitabat, tantum affecta est, quod quidquid habebat viuidum domino in monte ex caritate offerebat. **10** Cui respondit dominus: ’Superhabundo in omnibus nec tua sunt michi necessaria; sed forte ideo parua tribuis, ut tibi maiora tribuantur?’ **11** Cui illa: ’Non,’ inquit, ’hec ideo offero, quia tibi sunt necessaria, sed quia me tantillam pauperculam fecisti monti tuo cohabitare, a seruisque tuis honorata sum. **12** Ideo tantillum, quod michi tamen est consolatorium, offero tibi, ut probes, quod facerem maiora, si valerem et ne gracie tue sim ingrata.’ **13** Respondit dominus: ’Quia me tanta caritate diligis, ego eleuabo te ad montem meum et dabo tibi et tuis vestes et victum annualem.’ **14** Sic nunc est filia tua disposita. Ipsa enim illud solum quod habebat viuidum, id est amorem mundi et filiorum reliquit tibi. Ideo tue pietatis est prouidere ei.”

15 Respondit Mater ad sponsam Filii dicens: ”Filia, sta stabilis. Ego rogabo Filium meum, qui dabit tibi victum annualem et collocabit te in monte, ubi milia milium seruiunt angelorum. **16** Nam si computarentur omnes homines, qui nati sunt ab Adam usque ad nouissimum, qui nasciturus est in fine mundi, plus quam decem angeli inueniuntur pro unoquoque homine. **17** Mundus quippe non est nisi quasi quedam olla; ignis vero subtilis ollam et cinis sunt amici mundi; sed amici Dei sunt quasi optimus cibus in olla. **18** Ergo quando mensa parata fuerit, tunc cibus dulcis presentabitur domino, et delectabitur in eo. Olla vero frangetur, sed tamen ignis non extinguetur.”

Verba virginis Matris ad filiam de reuolucione Dei amicorum in hoc mundo, nunc in tribulacionibus spiritualibus, nunc in consolacionibus; et quid sit tribulacio spiritualis et consolacio; et qualiter amici Dei debent gaudere et consolari temporaliter. Capitulum XII.

1 Mater loquitur: ”Amici Dei debent volui in mundo nunc in tribulacione spirituali, nunc consolacione spirituali. Consolacio vero spiritualis est infusio Spiritus sancti, consideracio magnalium operum Dei, admiracio pacientie eius et quando hec omnia delectabiliter opere adimplentur. **2** Tribulacio vero spiritualis est illa, quando contra voluntatem cogitationes immunde et importune conturbant mentem, quando mens angustiatur de inhonoracione Dei et de dispendio animarum, quando animus ex racionabili causa cogitur temporalibus sollicitudinibus implicari. **3** Sic eciam amici Dei quandoque possunt consolari consolacione temporali, sicut de verbis edificatoriis, de ludo honesto seu de aliis operibus, in quibus nichil detractorum sit aut dishonestum, sicut per exemplum intelligere poteris.

4 Si enim pugnus semper teneretur clausus, aut contraherentur nerui aut manus debilitaretur. Sic est eciam in spiritualibus. Si enim animus staret semper in contemplacione, aut obliuiscens seipsum euanesceret superbia, aut minueretur corona glorie eius. **5** Ideo amici Dei quandoque consolantur Spiritus sancti infusione, quandoque tribulantur Dei permissione, quia per tribulaciones extirpantur radices peccatorum et fructus iusticie radicatur.

6 Verumptamen Deus, qui videt corda et intelligit omnia, moderatur temptationes amicorum suorum, ut sint eis ad profectum, quia omnia facit et permittit iuste in pondere et mensura. **7** Ergo, quia tu vocata es in spiritum Dei, noli sollicitari de longanimitate Dei, quia scriptum est, quod nemo venit ad Deum nisi Pater traxerit eum. **8** Sicut enim pastor cum fasciculo florum attrahit et allicit oves in domum, postea diligenter claudens domum, licet oves discurrant per ambitum, non tamen habebunt egressum, **9** quia domus munita est parietibus, tectum altum, ianue quoque clause, propter quod oves assuescunt comedere fenum, in tantum quod facte mansuete eciam comedunt fenum de manu pastoris, sic eciam est factum tecum. **10** Illa enim que tibi antea videbantur importabilia et difficilia, iam facta sunt leuia, in tantum quod nichil iam delectat sicut Deus.”

Verba Christi ad sponsam, que lacrime sunt Deo accepte et que non; et de quibus fienda seu eroganda est elemosina pauperibus et pro animabus defunctorum; et de consilio et rogamine Christi ad sponsam.

Capitulum XIII.

1 Filius loquitur: ”Miraris, cur illum non audio, quem vides habere multas lacrimas et plurima largiri pauperibus pro honore meo. **2** Respondeo tibi ad primum: Ubi duo fontes decurrent, frequenter contingit, quod in unum conuenientes alterius aqua, que turbida est et lutosa, maculat et deturbat aquam fontis purissimi. Quam factam lutosam quis poterit bibere?

3 Sic est eciam de lacrimis multorum. Quorundam enim lacrime quandoque procedunt ex humiliacione inclinacionis nature, quandoque ex mundi tribulacione et timore inferni. **4** Talium enim lacrime lutose sunt et fetide, quia non procedunt ex caritate Dei. Sed ille lacrime sunt michi dulces, que procedunt ex consideracione beneficiorum Dei et ex consideracione peccatorum suorum et amore ad Deum. **5** Tales lacrime eleuant animam a terrenis in celum et regenerant hominem ad vitam eternam. Nam duplex est generacio, carnalis et spiritualis. **6** Carnalis generacio generat hominem de immundicia ad immundiciam, plorat dampna carnis, sustinet gaudenter labores mundi. Talium filius non est filius lacrimarum, quia per tales lacrimas non acquiritur vita eterna. **7** Sed illa generat filium lacrimarum, que plorat dispendia animarum, que sollicita est, ne filius offendat Deum. Talis mater propinquior filio est quam que generat carnaliter, quia per talem generacionem acquiritur beata vita.

8 Ad secundum, scilicet quod tribuit elemosinas pauperibus, respondeo tibi: Si emeres tunicam filio ex pecunia serui tui, numquid de iure non esset tunica eius, qui possidebat pecuniam? Esset utique. **9** Sic eciam est spiritualiter. Nam quicumque grauat subditos suos aut proximos, ut ex eorum pecunia succurrat animabus carorum suorum, plus me ad iram prouocat quam mitigat, quia ablata iniuste proderunt hiis, qui bona iuste antea possidebant, et non pro quibus dantur.

10 Verumptamen, quia iste beneficit tibi, beneficiendum est ei et spiritualiter et corporaliter, spiritualiter fundendo pro eo ad Deum preces, quia nullus credit, quantum Deo placent preces humilium, sicut per

exemplum ostendam tibi. **11** Si quis offerret regi magnum pondus argenti, diceretur a circumstantibus: 'Hec est magna presentacio.' Si vero legeret unum Pater Noster regi, derideretur. **12** Sic est econtra apud Deum. Quicumque enim offert pro anima alterius unum Pater noster, accepctius est Deo pondere magno auri, sicut patuit in illo bono Gregorio, qui oracione sua eciam infidelem Cesarem eleuauit ad alciorem gradum.

13 Secundo dico ei hec verba: 'Quia benefecisti michi, rogo Deum omnium remuneratorem, ut reddat tibi secundum graciā suā.' Item dic ei sic: 'Carissime, unum consulō tibi et unum rogo. **14** Consulo, ut aperias oculos cordis tui, considerando instabilitatem et vanitatem mundi recogitando, quantum refrigerat caritas Dei in corde tuo et quam grauis pena et horrendum iudicium futurum; **15** et attrahe caritatem Dei in cor tuum disponendo omnia tempora tua, bona temporalia et opera affectusque et cogitationes ad honorem Dei, filiosque tuos trade ordinacioni et disposicioni Dei nichil propter eos de amore Dei minuendo. **16** Secundo rogo, ut in oracionibus tuis impetres, quatenus Deus, qui omnia potest, donet tibi pacienciam et impleat cor tuum sua benedicta caritate.'"

Verba comfortatiua Christi ad sponsam in timore positam, quod non debeat timere de hiis que vidit et audiuit, quia Spiritus sancti sunt; et quomodo Dyabolus per serpentem et leonem, consolacio Spiritus sancti per linguam designantur; et qualiter sit opponendum Dyabolo. Capitulum XIII.

1 Filius loquitur: "Cur times et sollicitaris ex eo, quod Dyabolus immittit aliqua in verba Spiritus sancti? Numquid aliquando audisti illum conseruare linguam suam sanam, qui eam misit inter dentes leonis commoti? **2** Aut numquid aliquis quandoque suxit mel dulcissimum de cauda serpentis? Nequaquam. Sed quis est leo vel serpens nisi Dyabolus, leo propter maliciam, serpens propter astuciam? Quid vero lingua nisi consolacio Spiritus sancti? **3** Quid namque est linguam ponere inter dentes leonis nisi verba Spiritus sancti, qui in specie lingue apparuit, propter fauorem et laudem humanam dicere? **4** Ergo quicumque laudes Dei ad placendum hominibus loquitur, hic utique mordetur et decipitur a Dyabolo, quia verba illa, quamvis sint Dei, non procedunt de ore caritatis Dei, et lingua, scilicet consolacio Spiritus sancti, auferetur ab eo. **5** Qui vero nichil desiderat nisi Deum, omniaque mundalia sunt ei molesta, nec corpus affectat videre nec audire nisi que sunt Dei, **6** animaque eius in infusione Spiritus sancti letatur, hic talis decipi non potest, quia spiritus malus cedit spiritui bono nec audet ei appropinquare.

7 Quid vero significat mel de cauda serpentis sugere nisi consolacionem Spiritus sancti de suggestionibus Dyaboli sperare? **8** Quod nequaquam fieri potest, quia Dyabolus se magis millies occidi permitteret quam unicum verbum consolatorium daret anime, cuius exitus tenderet ad finem vite. **9** Ergo noli timere. Deus enim, qui incepit bonum tecum, perficiet usque ad finem bonum. Verumtamen scito, quod Dyabolus est quasi canis dimissus de copula, quando videt te non esse in infusione Spiritus sancti, currens ad te cum temptationibus et suggestionibus suis. **10** Sed si opposueris ei aliquod durum, quod dentes sui vel doleant vel obstupescant, statim resiliet a te nec nocebit tibi. **11** Quid vero est durum opponendum Dyabolo nisi caritas diuina et obedientia mandatorum Dei? **12** Que cum videbit Dyabolus perfecte in te, statim dentes eius, id est conatus eius et voluntas frustrabitur, quia considerat te omnia contraria magis velle pati quam mandatis Dei contraire."

Verba Christi ad sponsam, cur boni in hac vita tribulantur et mali prosperantur; et quomodo Deus probat per exemplum, quod quandoque promittit temporalia, in quibus subintelliguntur spiritualia; et quare Deus non predixit singula ad certas horas, cum omnes hore et momenta sint ei nota. Capitulum XV.

1 Filius Dei loquitur: "Miraris, cur amicum Dei honorandum audisti tribulari, inimicum vero Dei audisti honoratum, quem credebas flagellandum, sicut tibi in alia diuina visione dictum fuit. **2** Respondeo tibi: verba mea et spiritualiter et corporaliter intelligi debent. Quid enim est tribulacio mundi nisi preparacio quedam et eleuacio ad coronam? Quid vero prosperitas mundi homini abutenti gracia nisi descensus quidam ad perdicionem? **3** Ergo tribulari in mundo vera est exaltacio ad vitam. Prosperari vero in mundo homini iniusto verus descensus est ad infernum. Ideo ad instruendam pacienciam tuam in verbis Dei dico tibi unum exemplum, **4** quasi mater una esset habens duos filios, quorum unus natus fuit in obscurio carcere, nichil sciens nec audiens nisi tenebras et lac matris. Alius vero natus fuit in tugurio paruo habens cibum humanum, requiem in lecto, seruicium ab ancilla.

5 Ei vero qui in carcere natus fuit dixit mater: 'O, fili, si volueris egredi a tenebris, habebis cibum delicaciorem, lectum molliorem et tuciorem locum.' **6** Quod puer audiens egressus est, quia si mater promisisset sublimiora, scilicet vel currentes equos vel domos eburneas aut latam familiam, non credidisset, **7** quia nichil nouerat nisi tenebras et lac maternum; sic et Deus quandoque parua promittit, in quibus alciora intelligit, ut homo per temporalia addiscat celestia cogitare.

8 Alteri vero filio dixit mater: 'O, fili, quid tibi utilitatis est morari in isto vili tugurio? Audi igitur consilium meum, et proderit tibi. Ego scio duas ciuitates: **9** in prima est habitantibus gaudium interminabile et indicibile honorque sine fine. In secunda est exercitium pugilum, ubi omnes qui pugnant fiunt reges, omnesque qui vincuntur vincunt.' **10** Quod puer audiens et egrediens ad stadium, regressus dixit matri: 'Vidi,' inquit, 'mirabilem ludum in stadio: alii prosternebantur et conculcabantur, **11** alii denudabantur et mortificabantur, attamen omnes tacebant, omnes ludebant, nullusque contra prosternentes se leuauit caput seu manum.'

12 Respondit mater: 'Ciuitas ista quam vidisti non est nisi suburbium ciuitatis glorie. In isto enim suburbio experiri vult Dominus illos, qui fuerint apti intrare ciuitatem glorie; **13** et quos viderit vigilantes ad certamina, hos in gloria sublimius coronabit. Et propterea in ipso suburbio resident hii qui probaturi sunt illos qui in gloria sunt coronandi. **14** Quod vero vidisti prostratos denudari, verberari et tacere, hoc ideo est, quia vestes nostre maculate sunt ex tenebris tugurii nostri; que ut subtilius mundentur, opus est magno certamine et labore.' **15** Respondit puer: 'Graue est conculcari et tacere. Melius enim iudico redire ad tugurium meum.' **16** Cui mater: 'Si,' inquit, 'manseris in tugurio nostro, orientur ex tenebris nostris et fetoribus vermes et serpentes, quorum auditu horrescit auditus tuus, quorum morsu infrigidabitur omnis virtus tua, quorum cohabitacione malles non fuisse natus.' **17** Quod puer audiens et corporale bonum appetens, quod tamen mater intellexit spiritualiter, factus est animequior et cotidie incitabatur ad coronam.

18 Sic facit et Deus. Nam quandoque promittit et tribuit corporalia, quandoque promittit carnalia, in quibus subintelligit spiritualia, ut et animus per accepta munera incitetur ad feruorem Dei, et per intellectum spiritualem humilietur, ne de se presumat. **19** Sic fecit Deus Israeli. Primo namque promisit et dedit eis temporalia, et cum eis fecit eciam mirabilia, ut per talia erudirentur ad inuisibilia et spiritualia. **20** Deinde facta in eorum intellectu maiori Deitatis cognitione, cum prophetis Deus loquebatur obscura verba et difficilia ad intelligendum, intermicens quedam consolatoria et gaudiosa, **21** quando scilicet promisit

populo redditum ad patriam, pacem perpetuam omniaque ruinosa edificanda. **22** Que omnia promissa licet populus carnalis intellexit et habere ea voluit carnaliter, Deus tamen quedam carnaliter, quedam vero spiritualiter adimplenda presciuit et prefiniuit.

23 Sed poteris querere: Cur Deus, cui omnes hore et momenta nota sunt, non plane et ad certas horas predixit singula? Aut cur alia dixit, alia notauit? **24** Respondeo tibi: Israel carnalis erat et carnalia sola desiderabat nec inuisibilia nisi per visibilia percipere poterat. Ideo placuit Deo multis modis erudire populum suum, **25** ut creduli promissionum Dei coronarentur sublimius propter fidem, ut proficientes in bono feruerent amplius, ut desidiosi succenderentur ad Deum feruencius, ut transgredientes desisterent peccare liberius, **26** ut tribulati tolerarent miserias suas pacientius, ut laborantes subsisterent delectabilius, ut expectantes per obscuram promissionem sublimius coronarentur. **27** Si enim Deus carnalibus sola spiritualia promisisset, omnes tepuissent ab amore celestium. Si vero sola carnalia promisisset, que tunc differencia fuisset homini et iumento? **28** Sed pius et sapiens Deus, ut homo moderate tamquam moriturus <et> iuste gubernaret corpus suum, dedit ei corporalia; ut autem appeteret celestia, ostendit beneficia et miracula celestia; **29** ut vero timeret peccare, ostendit iudicia sua terribilia et immissiones per angelos malos; ut eciam illuminator promissionum et dator sapiencie expectaretur et desideraretur, obscura et dubia cum consolatoriis intermiscebantur.

30 Sic eciam adhuc hodierna die Deus per similitudines corporales indicat iudicia spiritualia et loquendo corporalem honorem intelligit spiritualem, ut soli Deo omne magisterium tribuatur. **31** Quid enim est honor mundi nisi ventus et labor et diminuio diuine consolacionis? Quid vero est tribulacio nisi preparacio virtutum? **32** Ergo promittere iusto honorem mundi, quid est nisi priuacio commodi spiritualis? Promittere vero tribulaciones mundi, quid est nisi medicamentum et antidotum magne infirmitatis? **33** Propterea, filia, verba Dei multipliciter intelligi possunt, nec tamen ob hoc aliqua in Deo mutabilitas est consideranda, sed sapiencia eius admiranda et formidanda. **34** Nam sicut in prophetis multa dixi corporaliter, que et corporaliter perficiebantur, multa eciam dixi corporaliter, que spiritualiter perficiebantur vel intelligebantur, sic et nunc facio, et quando hec contingunt, causam eorum indicabo tibi.”

Verba virginis ad filiam, quomodo Dyabolus frequenter astute dicit sub deuocionis pelle aliquem vel aliquos inter seruos Dei, ut ipsos perturbet; et quibus indulgencie largiuntur; et quomodo disposicio Ecclesie per anserem et Deus per gallinam designantur; et qui sunt digni Dei pulli vocari. Capitulum XVI.

1 Mater Dei loquitur sponse Christi: ”Cur collegistis istum, cuius lingua magniloqua, vita ignota, mores mundiales?” **2** Respondit illa: ”Quia,” inquit, ”credebatur bonus et ne confunderer, si homo lingue note despiceretur. Verumtamen, si Deo displicuisse prescirem, non magis eum quam serpentem collegissem.” **3** Cui Mater: ”Hec,” inquit, ”voluntas tua bona custodiuimus et refrenauimus linguam eius et cor, ne vos ad perturbationem commoueret. Dyabolus quippe astutus adduxit vobis lupum in vellere ouis, ut inueniret occasionem sollicitandi vos et in vos garriendi.” **4** Respondit illa: ”Nobis appetet, quod sit deuotus et penitens et quod visitat sanctos et dicit se velle abstinere a peccato.”

5 Respondit Mater: ”Ubi cum anser est cum pennis, dic utrum comeditur caro an penne? Nonne penne abhominabiles sunt stomacho, caro vero cibat et confortat? **6** Sic est et spiritualiter disposicio et constitucio sancte Ecclesie. Est enim quasi anser, in qua est corpus Christi tamquam caro recentissima. **7** Sacraenta sunt quasi interiora anseris, ale vero significant virtutes et actus martirum et confessorum,

plume autem notant caritatem et pacienciam sanctorum, sed penne significant indulgencias, quas sancti viri concesserunt et promeruerunt. **8** Ergo omnis qui venit ad indulgencias ea intencione, ut a peccatis prioribus absoluatur et tamen ut remaneat in priori viciosa consuetudine, **9** hic quidem habet pennas anseris, de quibus nec cibatur nec comfortatur anima, sed solummodo, si sumantur, operantur ad reiectionem.

10 Qui vero eo animo veniunt ad indulgencias, ut deinceps fugiant peccata, ut iniuste ablata restituant, ut lesis iniuste satisfaciant, ut unum obulum cum turpi lucro non acquirant, **11** ut ad unum diem viuere non velint nisi secundum velle Dei, ut in aduersitate et prosperitate Deo voluntatem suam submittant, ut honores mundi et amicicias eius fugiant, hic quidem talis habebit remissionem peccatorum similisque est angelo Dei in conspectu Dei.

12 Ei vero qui gaudet de absolucione peccatorum priorum nec tamen habet voluntatem relinquendi priores vanitates et inordinatas mentis sue affecciones, sed iniuste acquisita vult retinere, **13** mundum in se et in suis diligere, de humilitate erubescere, consuetudines prauas non fugere, carnem suam a superfluis non restringere, huic quidem valent penne, id est indulgencie, ad reiectionem, id est ad obtainendam contritionem et confessionem, **14** quibus eicitur peccatum et acquiritur gracia Dei euolabitque quasi pennis quibusdam de manu Dyaboli in sinum Dei, si tamen ad hec obtainenda personaliter cum bona voluntate velit cooperari.”

15 Respondit illa: ”O, Mater misericordie, ora pro isto, ut graciam inueniat in conspectu Filii tui!” **16** Cui illa: ”Spiritus sanctus,” inquit, ”visitat eum sed aliquid quasi petra iacet ante cor eius prohibens, ne gracia Dei ingrediatur. Deus quippe est quasi gallina calefaciens oua, de quibus fiunt viuentes pulli. **17** Omnia itaque oua que subtus gallinam sunt recipiunt calorem eius, non autem alia circumiacencia, nec mater frangit testam oui, in qua pullus concipitur, sed ipse pullus rostro suo temptat frangere. Quod videns mater illi pullo calidorem locum preparat, ubi subsistat.

18 Sic Deus omnes cum gracia sua visitat; eos vero qui sic cogitant: ’Nos,’ inquiunt, ’abstinere volumus a peccato et inquantum possumus conari volumus ad perfeccionem,’ hos visitat Spiritus sanctus frequencius, ut perfeccius possint. **19** Qui vero omnem voluntatem suam committunt Deo, nolentes nec minima facere contra amorem Dei, sed sequuntur eos, quos viderint tendere ad perfecciora, et stant humilium hominum consilio reluctantे discrete motibus carnis sue, **20** hos quasi gallina pullos subicit sibi Deus, faciendo eis iugum suum leue et consolando eos in difficultatibus suis. **21** Qui vero propriam sequuntur voluntatem, cogitantes modica bona que faciunt esse digna apud Deum mercede nec conantur ad maiorem perfeccionem, **22** sed stant in hiis que mentem delectant, excusantes fragilitatem suam exemplis aliorum et leuigantes culpas suas peruersitatibus aliorum, **23** tales non fiunt pulli Dei, quia voluntatem non habent frangere duriciam et vanitatem cordis sui; sed si possent, vellent magis diu vivere, ut in peccato diu possent perseuerare.

24 Non fecit sic ille bonus Zacheus, non sic Magdalena: sed quia in omnibus membris offenderant Deum, omnia membra dederunt ei ad satisfaciendum ei pro offensis; **25** et quia ad mundi honores ascenderunt mortaliter, descenderunt in eius contemptum humiliiter, quia difficile est Deum et mundum simul diligere, nisi fuerit sicut animal illud, quod oculos habebat ante et retro; **26** et talis, quantumcumque sollicitus est, tribulabitur tamen. Qui autem tales sunt sicut [eiusmodi] Zacheus et Magdalena, tuciorem partem elegerunt.”

Declaracio.

27 Hic aduocatus Osgocie venit ad annum iubileum plus ex timore quam amore, de quo loquitur Christus in Roma: "Omnis qui euaserit periculum aliquod, caendum est, ne recidiuet in priora. Nam naute eciam in portu nimium confidentes periclitantur. **28** Ideo iste caueat, ne veniat ad priorem statum officii sui; alioquin, nisi cauerit, amittet desiderabilia, congregata venient ad extraneos, filii non recipient hereditatem, et ipse non sine dolore apud alienos morietur."

29 Hic rediens factus est iterum exactor, et omnia ita euenerunt.

Informacio optima sancte Agnetis ad filiam ad bene et laudabiliter viuendum et ad malam vitam et Deo ingratam precauendum; in qua fortitudo et pacienza per currum, per quatuor vero rotas designantur iste quatuor virtutes: perfecte omnia relinquere propter Deum, humilitas et Deum sapienter diligere carnemque discrete refrenare; et ponuntur quedam alia de religiosis. Capitulum XVII.

1 Agnes loquitur sponse Christi: "Vidisti," inquit, "dominam Superbiam in curru superbie hodie?" Cui sponsa respondit: "Vidi," inquit, "et tabescebam, quia caro et sanguis, puluis et stercus se ibi laudari querit, ubi merito debet se humiliare. **2** Quid enim est talis ostentacio nisi prodiga donorum Dei consumpcio, vulgi admiracio, iustorum tribulacio, pauperum desolacio, Dei prouocacio, suiipsius obliuio, iudicii futuri grauior diiudicacio et dispendium animarum?"

3 Respondit Agnes: "Gaude, filia, quia a talibus erepta es. Propterea et describere tibi currum quendam volo, in quo te secure poteris reclinare. Currus itaque in quo sedere debes est fortitudo et pacienza in tribulacionibus. **4** Cum enim homo carnem refrenare coperit et totam voluntatem suam Deo committere, aut sollicitat mentem superbiam, que hominem eleuat a se et supra se, quasi similis sit Deo et hominibus iustis, **5** aut certe frangit eum impaciencia et indiscrecio, ut vel redeat ad solita vel deficiat in viribus, ut ineptus sit in labore Dei. **6** Propterea est opus pacienza discreta, ut nec impaciens retrocedat nec indiscrete perseueret, sed in viribus et temporibus se conformet.

7 Prima vero rota currus istius est voluntas perfecta omnia relinquendi propter Deum nilque desiderare nisi Deum. **8** Nam sunt multi, qui temporalia relinquunt eo fine, ut aduersitatibus careant et tamen nichil eis desit ad utilitatem et voluptatem. **9** Quorum rota non est bene ductilis et versatilis, quia cum pungit paupertas, desiderant sufficienciam; cum grauat aduersitas, requirunt prospera; **10** cum temptat eos deieccio, murmurant de disposizione diuina et affectant honores; cum precipiuntur contraria, querunt proprias libertates. **11** Ergo illa voluntas est Deo placita, que nichil de suo habere desiderat nec in prosperitate nec in aduersitate.

12 Secunda rota est humilitas, qua homo reputat se ad omnia bona indignum ponens ante oculos suos omni hora peccata sua, reum se existimando in conspectu Dei. **13** Tertia rota est diligere Deum sapienter. Ille plane sapienter diligit, qui seipsum circumspiciendo odit vicia sua, qui contrastatur de peccatis proximorum et parentum suorum, **14** letatur vero de spirituali eorum profectu ad Deum, qui amicum suum non optat viuere ad utile et commodum suum proprium, sed ut Deo seruiat, timetque ei plus de mundano processu, ne forte offendat Deum. **15** Talis ergo est sapiens dileccio odiendo vicia, non fouendo propter fauorem vel honorem eosque plus diligendo, quos in amore Dei viderit feruenciores.

16 Quarta rota est refrenacio discreta carnis. Quicumque enim est in coniugio et cogitat sic: 'Ecce,' inquit, 'trahit me caro inordinate. Si vixero secundum carnem, scio pro certissimo, quod irascitur conditor carnis, qui plagare potest et infirmare, qui occidet et viuificabit. **17** Ideo ob amorem et timorem Dei refrenare volo beniuole carnem meam, viuere modo debito et ordinato ad honorem Dei.' Quicumque taliter cogitat petens adiutorium Dei, eius rota accepta erit Deo. **18** Si vero religiosus est et cogitat sic: 'Ecce trahit me caro ad deliciosa, offert se eciam locus, tempus et bona et etas ad delectandum, attamen adiutorio Dei nolo peccare propter professionem sanctam et momentaneum delectacionis bonum. **19** Magnum quippe est quod voui Deo: pauper ingressus sum, pauperior egrediar, iudicium de cunctis sum <subiturus>. **20** Ideo, ne offendam Deum meum, ne scandalizem proximum meum, ne me ipsum faciam perirum, abstinere volo.' Talis abstinencia digna est mercede magna.

21 Si vero aliquis est in honore et deliciis et cogitat sic: 'Ecce ego habundo in omnibus, et pauper deficit, et tamen unus Deus est omnium. Quid promerui ego et quid demeruit ille? Quid vero est caro nisi cibus vermium? **22** Quid vero tot delicie nisi nausee et occasio infirmitatis, perdicio temporis et peccati inductium? Ideo refrenabo carnem meam, ne in ea vermes lasciuant, ne grauius iudicium subeam, ne tempus penitencie inaniter expendam, **23** et si forte caro male educata non poterit faciliter flecti ad grossiora, ut pauper subtraham ei tamen paulatue deliciora aliqua, sine quibus bene potest subsistere, ut necessitatem habeat non superfluitatem.' **24** Quicumque ergo sic cogitat et faciendo conatur, quantum potest, hic et confessor et martyr vocari potest, quia martirii genus est delicias habere et deliciis non uti, in honore esse et honorem contempnere, magnum esse apud homines et minima sentire de seipso. Itaque talis rota multum placet Deo.

25 Ecce, filia, currum figuraui tibi, cuius angelus tuus est auriga, si tamen frenum eius et iugum a collo non excusseris, id est si inspiraciones eius salubres non dimiseris, sensus tuos et cor tuum ad inania et scurrilia relaxando. **26** Nunc eciam currum, in quo domina illa sedebat, dicere tibi volo. Currus plane impaciencia eius est, scilicet contra Deum et contra proximum et contra seipsam: **27** contra Deum iudicando occulta iudicia eius, quia non prosperatur ad votum; malignando contra proximum, quia non consequitur bona eius; impaciens quoque in seipsam est occulta cordis sui impacienter ostendendo.

28 Huius currus rota prima superbia est preferendo se aliis et alias iudicando, contempnendo humiles et honores ambiendo. **29** Secunda rota est inobedienza preceptorum Dei, que inducit in cor eius excusacionem infirmitatis sue, leuigacionem culpe sue, presumptionem cordis malicieque defensionem. **30** Tercia rota est cupiditas mundialium, que inducit ei prodigalitatem in expendendo que habet, negligenciam et obliuionem sui et futurorum, anxietatem cordis, tepiditatem ad amorem Dei. **31** Quarta rota est sui ipsius amor, per quem excludit a se Dei sui reuerenciam et timorem, finemque suum et iudicium non attendit.

32 Huius currus auriga est Dyabolus, qui eam ad omnia que ipse miserit in cor eius facit hylarem et audacem. Duo vero equi, qui trahunt currum, spes est longe vite et voluntas peccandi usque in finem. **33** Frenum vero pudor confessionis est. Qui quidem pudor sic per spem longe vite et voluntatem perseuerandi in peccato trahit animum a recto tramite et in peccato sic onerat, **34** quod nec terrore nec pudore nec ammonitione surgere potest; sed cum stare firmiter se credit, nisi iuuante gratia Dei descendet in profundum."

Addicio.

35 Item loquitur Christus de eadem domina: "Hec est vipperra que linguam habet meretricam, fel draconum in corde, venenum amarissimum in carne. Ideo oua eius erunt venenosa. Felices erunt qui non experiuntur onus eorum."

Verba laudis filie ad virginem gloriosam et responsio grata virginis ad filiam, in qua filie per virginem gracie plurime de se et apostolorum et sanctorum conceduntur et multa alia bona. Capitulum XVIII.

1 "O, dulcis Maria," inquit sponsa, "benedicta sis tu eterna benedictione, quia virgo ante partum, virgo post partum, virgo cum sponso, virgo eciam indubitata dubitante sponso. **2** Propterea benedicta sis tu, quia mater et virgo, quia sola Deo carissima, quia pre omnibus angelis purissima, quia sola cum apostolis fide plenissima, **3** quia sola dolore cordis amarissima, quia pre confessoribus abstinencia clarissima, quia pre virginibus omnibus excellentissima continencia et castitate. **4** Ideo benedicant te omnia superiora et inferiora, quia per te Deus creator factus est homo, per te iustus inuenit graciam, peccator indulgenciam, mortuus vitam, exul rediit ad patriam suam."

5 Respondit virgo: "Scriptum est, quod Petro reddente testimonium Filio meo, quod esset Filius Dei, responsum est ei: 'Beatus es, Symon, quia caro et sanguis non reuelauit tibi.' **6** Sic dico ego nunc: Hanc salutacionem non reuelauit tibi carnalis anima tua, sed ille qui erat sine principio et est sine fine. Propterea tu esto humilis, et ego ero tibi misericors; **7** Iohannes baptista, ut promisit, erit tibi dulcis; Petrus vero erit tibi mitis; Paulus autem fortis quasi gygas. Tunc quoque Iohannes baptista dicturus est tibi: 'Filia, sede in genu!' **8** Petrus vero dicet: 'O, filia, aperi os tuum, et cibabo te cibo dulcedinis!' Paulus vero induet te et armabit armis caritatis. Ego vero, que Mater sum, presentabo te Filio meo.

9 Verumptamen, filia, ista poteris eciam intelligere spiritualiter. Nam in Iohanne, qui interpretatur gracia Dei, notatur obediencia vera. Ipse quippe fuit et est dulcis: **10** Iohannes, dulcis parentibus propter mirabilem graciam, dulcis hominibus propter singularem predicationem, dulcis Deo propter vite sanctitatem et obedienciam. **11** Obediuit denique in iuuentute, obediuit in prosperis et aduersis, obediuit et humiliiter stetit cum honorari posset, obediuit et in morte. **12** Ergo obediencia dicit: 'Sede in genu!' Id est, ascende ad humilia et habebis sublimia, relinque amara et obtinebis dulcia, **13** relinque propriam voluntatem, si vis esse paruula, contempne terrena et eris celestis, contempne superflua et habebis abundanciam spiritualem.

14 In Petro vero notatur fides sancta: fides sancte Ecclesie. Sicut enim Petrus stabilis permansit usque in finem, sic et fides sancte Ecclesie sine fine stabilis permanebit. **15** Ergo Petrus, id est fides sancta, dicit: 'Aperi os, et habebis cibum optimum!' Id est: aperi intellectum anime tue et in sancta Ecclesia inuenies cibum dulcissimum, **16** id est ipsum corpus dominicum in sacramento altaris, nouam quoque legem et veterem, explanaciones doctorum, pacienciam martirum, humilitatem confessorum, virginum castimoniam omniumque virtutum fundamentum. **17** Itaque fidem sanctam quere in Ecclesia sancti Petri, quesitamque memoriter retine et operibus consumma.

18 In Paulo vero notatur pacienza. Ipse enim fuit feruens contra impugnantes fidem sanctam, gaudens in tribulacionibus, longanimis in spe, paciens in infirmitatibus, **19** compassiuus cum dolentibus, humilis in virtutibus, hospitalis in pauperes, misericors ad peccantes, magister et doctor omnium, perseverans usque ad finem in Dei caritate. **20** Ergo Paulus id est pacienza armabit te armis virtutum, quia pacienza vera

fundata et roborata exemplis et pacienza Christi et sanctorum eius accedit caritatem Dei in corde, **21** succedit animum ad agenda forcia, reddit hominem humilem, mitem, misericordem, feruentem ad celestia, sollicitum sui ipsius, perseuerantem in inceptis.

22 Itaque omnem hominem, quem obediencia nutrit in genu humilitatis, fides cibat cibo dulcedinis, pacienza vestit armis virtutum, hunc ego mater misericordie introduco ad Filium meum, qui eum coronabit corona dulcedinis sue. **23** In ipso enim est fortitudo inexcoigitabilis, sapiencia incomparabilis, virtuositas indicibilis, caritas admirabilis. Ideo et nullus rapiet eum de manu sua. **24** Verumptamen, filia, quamuis tibi loquor, per te tamen omnes intelligo, qui fidem sanctam sequuntur operibus caritatis. Sicut enim in uno homine Israel omnes Israelite intelligebantur, sic per te omnes veri fideles intelliguntur.”

Verba filie ad Dominam de virtute et laude sue pulchritudinis; et de responsione virginis sui laudem confirmante; et qualiter Filius virginem Matrem comparat aurifabro. Capitulum XIX.

1 ”O, dulcis Maria, pulchritudo noua, pulchritudo clarissima! Veni in adiutorium michi tu, ut deformitas mea depuretur caritasque accendatur! Tria enim dat pulchritudo tua capiti. **2** Purgat primo memoriam, ut verba Dei suauiter ingrediantur; secundo, ut audita delectabiliter teneantur; tertio ut ad proximum ardenter diffundantur. Tria eciam pulchritudo tua prestat cordi. **3** Primo aufert onus durissimum accidie, si tua consideretur caritas et humilitas; secundo dat oculis lacrimas, si tua attenditur paupertas et pacienza; tertio dat cordi internum ferorem dulcedinis, si sinceriter recolitur memoria tue pietatis.

4 Vere, Domina, tu es pulchritudo preciosissima, pulchritudo desiderantissima, quia infirmis data es in auxilium, tribulatis in solacium, omnibus in medicamentum. **5** Ergo omnes qui audierunt te nascituram, et quicumque sciunt te iam natam, bene clamare possunt: ’Veni, pulchritudo clarissima, et illumina tenebras nostras; veni, pulchritudo preciosissima, et aufer obprobrium nostrum; **6** veni, pulchritudo suauissima, et mitiga amaritudinem nostram; veni, pulchritudo potentissima, et dissolue captiuitatem nostram; veni, pulchritudo honestissima, et dele feditatem nostram!’ **7** Ergo benedicta et venerabilis sit talis et tanta pulchritudo, quam omnes videre optabant patriarche, de qua omnes cecinerunt prophete, de qua omnes electi gaudent!”

8 Respondit Mater: ”Benedictus sit Deus, pulchritudo mea, qui dedit tibi talia verba loqui! Propterea dico tibi, quod pulchritudo antiquissima, eterna et pulcherrima, que fecit et creavit me, comfortabit te; **9** pulchritudo vetustissima et noua innouans omnia, que fuit in me et processit de me, docebit te mirabilia; pulchritudo desiderantissima delectans et letificans omnia inflammabit animam tuam caritate sua. **10** Propterea confide in Deo. Cum enim pulchritudo celestis apparuerit, omnis pulchritudo terrena confundetur et reputabitur quasi sterlus.”

11 Deinde ait Filius Dei ad Matrem: ”O, benedicta Mater, tu es similis aurifabro, qui preparat opus pulchrum. Omnes qui viderint opus congratulantur et tunc vel lapides preciosos aut aurum offerunt, ut opus perficiatur. **12** Sic tu, dilecta Mater, omni conanti surgere ad Deum tribuis auxilium, et neminem relinquas vacuum a consolacione tua. Propterea bene vocari poteris sanguis cordis Dei. **13** Sicut enim sanguine viuificantur et roboranr omnia membra corporis, sic per te omnes viuificantur a peccato et fructuosiores fiunt ad Deum.”

Informacio sancte Agnetis ad filiam de non retrocedendo et de non plus debito procedendo et de modo tenendo in abstinenciis incipiendis vel inceptis; et que continencia sit Deo acceptabilis. Capitulum XX.

1 Agnes loquitur: "Filia, sta stabilis et non retrocedas, quia serpens mordens iacet ante talos. Nec eciam plus debito procedas, quia cuspis lancee acute ante te stat, a qua, si plus iusto processeris, vulneraberis. **2** Quid vero est retrocedere nisi penitere in temptationibus assumpsisse austiora et salubria et velle ad consueta redire, delectari mente in sordidis cogitationibus? **3** Talia, si menti placent, obscurant omnia bona paulatimque retrahunt ab omni bono. Nec eciam debes plus debito procedere, id est ultra vires te affligere aut alios supra naturam tuam in bonis operibus imitari, **4** quia ab eterno disposuit Deus operibus caritatis et humilitatis aperiri peccatoribus celum, seruata in omnibus mensura et discrecione. **5** Nunc autem Dyabolus inuidus suadet homini imperfecto supra vires ieunare, promittere inconsueta et importabilia, velle imitari perfecciora non consideratis viribus propriis et infirmitatibus, **6** ut deficiente robore homo vel continuet male incepta propter ruborem hominum plus quam propter Deum, vel deficiat cicius propter indiscretionem et infirmitatem.

7 Propterea mensura teipsam in teipsa, id est secundum fortitudinem et debilitatem tuam, quia alii sunt a natura forciores, alii debiliores, alia gracia Dei feruenciores, alii consuetudine bona alacriores. **8** Ideo secundum consilium timencium Deum gubernat vitam tuam, ne aut per inconsideracionem mordeat te serpens aut cuspis gladii venenosi, id est suggestio Dyaboli venenosissima, deludat mentem tuam, qua vel videri velis quod non es aut esse appetas quod est supra vires et virtutem tuam. **9** Nam sunt quidam, qui meritis suis obtinere celum credunt; quibus Deus parcit a Dyaboli temptationibus ex occulta dispensacione sua. Alii sunt, qui operibus suis satisfacere Deo putant pro excessibus suis; quorum omnium error omnino dampnabilis est, **10** quia eciam si quilibet homo cencies corpus suum occideret, non posset Deo unum pro mille respondere, quia ipse dat posse et velle, ipse tempora et sanitatem, ipse replet in bonis desiderium suum, **11** ipse dat diuicias et gloriam; ipse qui mortificat et viuificat, exaltat et humiliat. Et omnia sunt in manu eius. Ideo ei soli omnis honor exhibendus est, et nulla merita hominum alicuius reputacionis sunt apud Deum.

12 Quod vero mirabaris de domina, que ad indulgencias veniens corrupta est, respondeo tibi: Sunt quedam mulieres, que continenciam habent sed non diligunt; quibus nec delectatio magna est nec temptationis violenta, **13** quibus, si nupcie honorande preberentur, susciperent quidem sed, quia non offeruntur magna, dedignantur parua. Et ideo ex continencia aliquando oritur superbia et presumpcio, propter quam contingit ex permissione diuina cadere sicut iam audisti. **14** Si vero aliqua esset talis intencionis, quod nec propter totum mundum, si ei preberetur, vellet semel maculari, impossibile est talem relinqu ad turpia. **15** Verumtamen, si Deus permitteret ex occulta iusticia sua talem cadere, plus fieret ei ad coronam quam ad peccatum, dummodo esset contra eius voluntatem.

16 Propterea pro certo scito, quod Deus est quasi aquila, que ab alto prospicit infima; que si aliqua viderit ascendere de terra, statim quasi funda deicit illa; **17** si vero aliquod venenosum prospicit contrarium sibi, quasi sagitta transuerberat; si autem distillat aliquod immundum de superioribus supra ipsam, quasi anser fortiter excutit a se et elongat. **18** Sic eciam facit Deus. Si viderit corda hominum ex fragilitate carnis vel temptationibus Dyaboli contra voluntatem spiritus erigere se contra Deum, statim quasi funda per inspirationem compunctionis et penitencie illud adnichilat et facit hominem redire ad Deum et ad se ipsum. **19** Si vero venenum cupiditatis carnis vel diuiciarum intrauerit cor, mox Deus transuerberat mentem sagitta caritatis sue, ne homo perseverans in peccato a Deo separetur. **20** Quod si aliquod immundum

superbie vel lutum luxurie fedauerit animum, mox quasi anser per fidei et spei constanciam deicit, ne vel animus obduretur in viciis aut anima iuncta Deo dampnabiliter maculetur.

21 Propterea, filia, in omnibus affectionibus tuis et operibus considera iusticiam et misericordiam Dei et semper attende finem.”

Verba sponse ad Deum de eius virtute et magnificencia; et responsio virginis ad filiam ipsam confortans; et qualiter boni serui Dei non debent cessare a predicacione et monitione gencium, siue conuertantur siue non, quod probat per exemplum. Capitulum XXI.

1 ”Benedictus sis tu, Deus meus, qui es trinus et unus: trinus in personis et unus in natura. Tu es ipsa bonitas et ipsa sapiencia, tu ipsa pulchritudo et potestas, tu ipsa iusticia et veritas, per quam sunt omnia, viuunt et subsistunt. **2** Tu vere similis es flori crescenti singulariter in campo, de quo omnes appropinquantes flori obtinent suavitatem in gustu, alleuiacionem in cerebro, delectacionem in visu, fortitudinem in reliquis membris. **3** Sic omnes appropinquantes tibi fiunt pulchriores relinquendo peccatum, fiunt sapiencias sequendo voluntatem tuam et non carnis, fiunt iustiores sequendo utilitatem anime et honorem Dei. **4** Propterea, piissime Deus, da michi id amare quod te delectat, temptationibus viriliter resistere, mundana omnia contempnere et te iugiter in memoria mea retinere.”

5 Respondit Mater: ”Hanc salutacionem promeruit tibi ille bonus Ieronimus, qui recessit de falsa sapiencia et inuenit sapienciam veram, qui contemptis honorum terrenum et lucratus est ipsum Deum. **6** Felix talis Ieronimus, felices qui eius imitantur doctrinam et vitam. Qui fuit amator viduarum, speculum proficiencium doctorque tocius veritatis et puritatis. Sed dic, filia, quid est quod te sollicitat in corde tuo?” **7** Et illa: ”Occurrit,” inquit, ”cogitacio dicens: ‘Si bona es, sufficit tibi bonitas tua. Quid ad te iudicare et prouocare alios docereque meliores, quod nec tui ordinis est nec status?’ Ex qua cogitatione ita obduratur animus, quod et suiipsius obliuiscitur totusque refrigescit a Dei caritate.”

8 Respondit Mater: ”Hec cogitacio multos eciam prouectos retrahit a Deo. Nam Dyabolus impedit bonos, ne loquantur malis, ne forte compungerentur. Impedit eciam, ne loquantur bonis, ne forte eleuarentur ad alciorum locum. Quia boni audita doctrina bonorum eleuantur ad alciora merita et loca. **9** Sic eunuchus ille legens Ysaiam venisset quidem ad minorem penam inferni, sed occurrit Philippus et docens eum compendium ad celum eleuauit eum ad felicem locum. **10** Sic eciam Petrus mittebatur ad Cornelium. Si Cornelius prius fuisset mortuus, venisset quidem propter fidem ad refrigerium, sed aduenit Petrus et proiecit eum ad portam vite. Similiter eciam Paulus venit ad Dyonisium et duxit eum ad beatam remuneracionem. **11** Ergo amici Dei non debent attediari in seruicio Dei sed laborare, ut homo malus fiat melior et homo bonus veniat ad perfecciora.

12 Nam quicumque voluntatem haberet sibilandi in aures omnium transeuncium, quod Jesus Christus esset vere Dei filius, et faciendo conaretur, quantum posset, ad aliorum conuersionem, **13** licet nulli vel pauci conuerterentur, nichilominus eandem mercedem obtineret ac si omnes conuerterentur, sicut per exemplum dico. **14** Si duo mercenarii ex precepto domini foderent montem durissimum, et aliis inueniret aurum electum, alias vero nichil, isti propter laborem et voluntatem digni equali essent mercede, **15** sicut Paulus, qui plures conuertit, alii apostoli, qui pauciores conuertebant, omnes tamen unius erant voluntatis, sed dispensacio diuina occulta. **16** Propterea non est cessandum, quamvis vel pauci vel nulli recipient verba

Dei, quia sicut spina conseruat rosam et asinus transfert dominum suum, **17** sic Dyabolus spina peccati per tribulaciones proficit electis tamquam rosis, ne per presumptionem cordis dissoluantur inaniter, et quasi asinus producit eos ad Dei consolacionem et maiorem remuneracionem.”

Qualiter modernis temporibus hominum malicia precellit Dyaboli astuciam; et quomodo homines nunc prompiores sunt ad peccandum quam Dyabolus ad temptandum; et de sentencia contra tales illata; et qualiter Dei amici in predicando debent laborare viriliter et celeriter; et de sciencie infusione in suos amicos. Capitulum XXII.

1 Filius loquitur: ”Si turbari possem, merito nunc dicere possem: Penitet me fecisse hominem. Nam homo modo est sicut animal, quod sponte currit in recia. Quantumcumque enim inclamatur, nichilominus sequitur sue voluntatis appetitum. **2** Nec iam omnino imputandum est Dyabolo, quod violenter trahit hominem; ymmo homo ipse preuenit maliciam eius. Sicut canes venatici, qui primo ducuntur copulis, inde tamen assueti capere et deuorare animalia eciam in accelerando ad predam preueniunt ductorem, **3** sic iam homo assuetus et fascinatus in peccato prompcior est ad peccandum quam Dyabolus ad temptandum. Nec mirum est. Diu enim est quod sedes apostolica, caput mundi, non placauit Deum sanctitate vite et exemplo suo, sicut primitus faciebat, et ideo reliqua membra facta sunt debilia et languida. **4** Nec consideratur, cur Deus diues factus est egenus et pauper, scilicet ut peritura contempnenda doceret et celestia amanda. Sed quod homo pauper natura factus est diues falsis diuiciis, hoc omnes imitari appetunt, paucique inueniuntur alii, qui non imitantur.

5 Ideo veniet arator a potentissimo, exacuatus a sapientissimo, qui non querit terras et pulchritudinem corporum, non veretur fortitudinem forcium nec timet minas principum, sed nec accipit personas hominum; **6** qui seminabit carnes hominum et diruet domos spirituum, qui corpora tradet vermbus animasque tradet illis quibus seruierunt. **7** Ideo amici mei, ad quos te mittam, laborent viriliter et celeriter, quia non erit istud quod dico in nouissimis diebus, ut dixi prius, sed in diebus istis. **8** Et multorum iam viuencium eciam hoc videbunt oculis, ut impleatur quod scriptum est: ‘Fiant uxores eorum vidue et filii sine patribus,’ omneque desiderabile hominum auferatur. **9** Verumptamen, quicumque ad me cum humilitate venerint, hos ego misericors Deus suscipio. Qui vero fructum iusticie operibus impleuerint, hiis ego dabo meipsum, **10** quia iustum est ut domus purgetur, in qua rex ingressurus est, vitrum mundetur, ut clarescat potus, granum fortiter conteratur, ut ab arista separetur, illudque, quod in formella clauditur, vehementer prematur, donec formelle similitudo obtineatur. **11** Attamen sicut post hyemem venit estas, sic ego post tribulacionem dabo consolacionem hiis scilicet, qui cupiunt esse paruuli et qui celestia preponderant plus quam terrena. **12** Verumptamen sicut homo non nascitur et moritur uno eodemque tempore, sic omnia temporibus suis nunc implebuntur.

13 Scito eciam, quod cum aliquibus volo facere iuxta proverbiū commune: ‘Percute eum in collo et curret’, et tribulacio accelerare cogit. Cum aliis faciam sicut scribitur: ‘Aperi os tuum et implebo illud.’ **14** Ad tercios vero dicam consolando et inspirando: ‘Venite, ydiote et simplices, et dabo vobis os et sapienciam, quibus linguosi non poterunt repugnare.’ **15** Sic feci iam in diebus istis: impleui simplices sapiencia mea et resistunt doctis, euulsi magniloquos et potentes et subito decesserunt. **16** Nec mirum; precepi enim sapientibus, ut preciderent linguas serpencium, sicut audisti, et noluerunt. Nec mater, que fuit

virga communitatis, valuit extinguere ora, ut ignem extingueret cupiditatis succensum in cordibus filiorum, ut monui. **17** Ideo ego tempore felicitatis eorum succidi eos et precidi linguis eorum.”

Verba Iohannis euangeliste ad virginem gloriosam de quodam mero et iniquo ypocrita; et responsio virginis, qualiter talis sit constitutus; et de Dyaboli illusionibus ad ipsum; et quomodo ex septem signis spiritus bonus cognoscitur et ex totidem malus spiritus dinoscitur. Capitulum XXIII.

1 Iohannes euangelista dixit matri Dei: ”Audi tu, virgo et mater unius filii non plurium, mater unigeniti filii Dei, plasmatoris et redemptoris omnium. **2** Audi, inquam, sicut et audis, quantum iste delusus est a Dyabolo, quantum laborat, ut obtineat impossibile, quantum informatus est et quantis rebus a spiritu mendacii, quantum eciam elongauit se a Deo in specie ouina et corde leonino. **3** Ego docui, quod tres sunt, qui testimonium dant in celo et in terra: Pater et Filius et Spiritus sanctus. **4** Isti vero testimonium perhibet spiritus malignus, quod totus est factus sanctus; quem Pater non fortificat potencia sua, Filius non visitat sapiencia sua, Spiritus sanctus non inflammat caritate sua. **5** Nec mirum; aspirat enim ad potentiam contra potentiam Patris, vult esse sapiens contra sapienciam Filii, habet inflammacionem sed aliter quam sicut inflammat Spiritus sanctus. **6** Ideo roga filium tuum, ut aut cicius subtrahatur, ne perdantur plures, aut humilietur celerius pro errato.”

7 Respondit Mater: ”Audi tu, virgo, sed tamen virilis non feminea persona. Tu es quem Deo placuit vocare cum leuissima morte de mundo propinquius michi. **8** Ego enim quasi obdormiui in separacione anime et corporis et vigilaui in gaudio perpetuo. Nec mirum; ego quippe pre ceteris amarius in morte Filii mei dolui, et ideo placuit Deo me de mundo cum morte leuissima separare. **9** Tu vero inter apostolos vicinius michi appropinquisti, maioraque signa dilectionis expertus es pre aliis, et amarior tibi passio Filii mei facta est, quam pre ceteris clarius aspexisti; et quia pre ceteris fratribus tuis longius vixisti, quasi in ipsorum omnium morte martir fuisti. **10** Ideo placuit Deo vocare te de mundo leuissima morte post me, quia virgo virgini fuit commendata. Ideo fiet quod petisti et non prolongabitur.

11 Attamen filie mee ostendere volo, quomodo iste de quo loquimur est constitutus. Ipse quippe est sicut seruus monetarii, id est Dyaboli, qui conflat et percutit monetam suam, id est seruientem sibi, suggestionibus et temptationibus suis, donec perficit eam ad velle suum. **12** Cumque voluntatem hominis corruperit et ad delectaciones carnis et amorem mundi inclinauerit, mox quasi formam et superscriptionem ei imprimit, quia tunc ex signis exterioribus satis appetet, quem diligit toto corde. **13** Quando vero homo opere explet affectum mentis sue et plus implicare se vult mundo quam status suus requirit, pluraque faceret et vellet, si posset, tunc perfecta moneta Dyaboli comprobatur.

14 Verumptamen scito, quod alia est moneta Dei et alia moneta Dyaboli. Moneta Dei est aurea, id est fulgens, ductilis et preciosa. Sic omnis anima que habet impressionem Dei est fulgens diuina caritate, ductilis pacienza, preciosa boni operis continuacione. **15** Ergo anima bona conflatur virtute Dei et probatur multis temptationibus, per quas anima considerans originem et defectuositates suas Deique circa se pietatem et pacienciam, tanto fit preciosior Deo, quanto humilior et paciencior et sui sollicior inuenitur.

16 Moneta vero Dyaboli est cuprea et plumbea. Cuprea, quia habet similitudinem auri: habet duriciam, habet flexibilitatem sed non sicut aurum. **17** Sic anima iniusti videtur quippe sibi esse iustus, omnes diiudicat, omnibus sua prefert, inflexibilis est ad opera humilitatis, mollis in suis operibus, difficilis ad

reuocandum a suis conceptibus, mirabilis mundo, contemptibilis Deo. **18** Est quoque moneta Dyaboli plumbea, quia deformis, quia mollis et flexibilis, quia ponderosa. **19** Sic anima iniusti deformis est in voluptuosis affectionibus, onerosa in cupiditate mundi, flexibilis quasi arundo ad quecumque Dyabolus inspirat menti, ymmo quandoque facilior ad faciendum quam Dyabolus ad temptandum. **20** Sic eciam iste seruus monetarii est dispositus, qui attediatus stare in obseruaciis regularibus, sicut voverat, cogitauit vias, quibus hominibus placeret per simulatam sanctitatem ad laucus nutriendam carnem suam. **21** Et mox Dyabolus immisit menti sue quedam mendacia nocturnalia, quibus delusus credebat impossibilia, que non euenient; sed vita eius abbreuiabitur, et honorem quem cupit non consequetur.

22 Verumtamen ubicumque aliqua moneta noua inuenitur, mittenda est ad aliquem sapientem, qui ponderis et forme scienciam habeat sufficienter. Sed ubi inueniemus illum? **23** Qui si inuentus fuerit, modicum curat, ymmo nichil, utrum moneta falsa sit aut vera. Ideo in talibus unicum est consilium, sicut per exemplum dico. **24** Si cani porrigeretur unus florenus, non attenderet ad recipiendum eum; si vero perunctus esset aliqua magna pinguedine, non dubium, quin tunc ab eo reciperetur. **25** Sic eciam est nunc. Si acceditur ad aliquem sapientem dicendo sic: 'Ille talis hereticus est', tunc non attenditur, quia caritas Dei refriguit tota. Si vero diceretur: 'Florenos habet multos', tunc omnes simul festinarent. **26** Propterea erit cito, quod dicit Paulus: 'Ad nichilabo sapienciam sapientum et humiliabo, et humiles exaltabo.'

27 Attamen, filia, ex septem poteris cognoscere Spiritum sanctum et spiritum immundum. Primo enim spiritus Dei facit vilescere homini mundum, cuius honor reputatur in corde quasi aer. **28** Secundo facit Deum carum anime, et omnis delectacio carnis refrigescit. Tercio inspirat pacienciam et in Deo solam gloriacionem. Quarto incitat mentem ad proximi dilectionem et compassionem, ymmo eciam inimicorum. **29** Quinto inspirat ad omnimodam castitatem, ymmo eciam rerum licitarum. Sexto facit confidere in Deo in omnibus tribulaconibus et in eis gloriari. Septimo donat desiderium velle dissolui et esse cum Christo, magis quam in mundo prosperari et inquinari.

30 Ita econtra spiritus malus facit alia septem. Primo facit mundum esse suauem, et celestia fastidire. Secundo facit appetere honores et sui ipsius obliuisci. Tercio excitat in corde odium et impacienciam. Quarto facit contra Deum audacem et in conceptibus animi sui pertinacem. **31** Quinto facit leuigare peccata sua et excusare. Sexto inspirat leuitatem animi omnemque carnis impuritatem. Septimo inspirat spem diu viuendi verecundiamque confitendi. Ideo sollicita esto circa cogitationes tuas, ne a spiritu isto decipiaris."

Declaracio.

32 Hic fuit sacerdos ordinis Cisterciensis, qui post XVIII annos apostasie compunctus reuersus est ad monasterium. Qui dixit impossibile esse aliquem dampnari, nec Deum loqui cum aliqua persona in hoc mundo, nec aliquem posse videre faciem Dei ante iudicium Dei. **33** Quod cum audisset domina Birgitta, dixit ei Spiritus sanctus: "Vade," inquit, "ad fratrem illum et dic ei: 'O, frater, non vides sicut ego video, quomodo Dyabolus adhuc in senectute tua tenet mentem et linguam tuam ligatam. **34** Deus eternus est, eterna est remuneracio eius. Ideo reuertere celeriter perfecto corde ad Deum et fidem veram, quia sine dubio non ascendas de lecto isto sed utique morieris. Et si credideris, eris vas Dei in honore.'"

35 Qui resolutus in lacrimas et domine Birgitte regracians, sic perfecte correxit vitam suam, quod conuocatis fratribus suis in hora resolucionis dixit: **36** "O, fratres mei, certificatus sum, quod Deus misericors recepit contritionem meam datus veniam. Orate pro me, quia credo omnia, que sancta credit Ecclesia." Et sic sumptis sacramentis Dei obdormiuit.

Verba virginis ad filiam, qui modus tenendus sit inter seruos Dei contra impacientes et qualiter superbia per dolium designatur. Capitulum XXIII.

1 Mater loquitur: "Ubi dolium vini incalesceat et intumescendo excrescat, ascendunt quedam exalaciones et spume, quandoque maiores quandoque minores, et subito iterum decrescent. **2** Omnes autem circumstantes dolium considerant tales exalaciones cito detumescere et quod tales eleuaciones prouenient ex fortitudine vini ad minuendum calorem eius. Ideo pacienter spectant finem et vini seu ceruisie perfeccionem. **3** Omnes autem circumstantes dolium, qui nimis applicant nares ad ferorem dolii, contingent eis duo: aut nimia externutacio vel commocio aut cerebrum grauius pacietur.

4 Sic est eciam spiritualiter. Nam contingit aliquando, quod quorundam corda intumescunt et ascendunt ex superbia mentis sue et impaciencia; quem ascensum viri virtutum attendentes considerant aut ex instabilitate animi aut motucarnalitatis procedere. **5** Ideo pacienter verba sustinent et attendunt finem scientes, quod post tempestatem fiet tranquillitas, et quia pacienza maior est expugnatore urbium, quia vincit hominem in se ipso, quod difficillimum est. **6** Illi vero qui nimis impacientes sunt verbaque reddunt equipollencia non attendentes retribucionem gloriosam pacientie nec quam contemptibilis est fauor mundanus, **7** isti incurvant infirmitatem mentis suis temptationibus propter impacienciam, quia nimis appropinquant nares ad commocionem dolii, id est: verba, que non sunt nisi aer, nimis apponunt cordi suo.

8 Ideo, quando videritis aliquos esse impacientes, ponite adiutorio Dei custodiam ori vestro, nec dimittatis bona incepta vestra propter verba impaciencie, sed dissimulate, in quantum iustum est, audita tamquam non audita, donec illi qui inuenire volunt occasionem exprimunt verbo quidquid notant corde."

Verba monitionis Matris ad filiam, quod homo non debet curam facere in desideriis carnis sed bene refouere corpus in moderatis necessariis; et qualiter homo stat iuxta corpus suum et non in corpore.

Capitulum XXV.

1 Mater loquitur: "Tu debes esse sicut sponsa, que stat ante antipendium, que mox ut vocauerit sponsus parata est ad voluntatem sponsi. Ergo antipendium istud corpus est velans animam, quod continue abluendum est, probandum et temptandum. **2** Corpus quippe est quasi asinus indigens cibo moderato, ne luxuriet, labore discreto, ne superbiat, flagello continuo, ne lacescat.

3 Itaque sta iuxta antipendium, id est iuxta corpus non in corpore, faciendo curam carnis in desideriis sed corpus moderatis refouendo necessariis. **4** Quia ille stat iuxta corpus non in corpore, qui corpus suum refrenat a voluptate ciborum non a necessitate. Sta quoque post antipendium contempnendo voluptatem carnis faciendo honorem Dei et te totam pro Deo impendendo.

5 Sic steterunt illi qui corpora sua quasi vestimenta strauerunt pro Deo, qui eciam omni hora parati erant ad voluntatem Dei, quando Deo placuit vocare eos, **6** quia non erat eis longum iter ad eum, quem semper habuerunt presentem, nec grauia onera deprimebant colla eorum, quia omnia contempnentes solo corpore

erant in mundo. **7** Ideo libere euolauerunt et sine impedimento ad celum, quia nichil impeditiebat eos nisi quoddam aridum indumentum disciplinatum optime, quo exuto obtinuerunt quod desiderabant.

8 Sic iste cecidit periculose, surrexit sapienter, defendit se viriliter, pugnauit constanter, perstitit perseueranter. Ideo iam coronabitur eternaliter et est in conspectu Dei.”

Verba ammonicionis virginis ad filiam, scilicet que opera virtuosa merentur vitam eternam et que non; et de maximo obediencie merito. Capitulum XXVI.

1 ”Multi sunt flores arboris, non tamen omnes veniunt ad effectum. Sic multa sunt virtuosa opera, non tamen omnia merentur mercedem celestem, nisi discrete fiant. **2** Nam ieunare, orare, visitare sanctorum loca virtuosa opera sunt; sed nisi eo animo fiant, ut credat se homo humilitate penetrare celum seruumque inutilem ad omnia et discretionem habeat in omnibus, modicum valent ad eterna.

3 Ecce si videris duos homines, alius est sub obediencia, alius in libera potestate; si ille qui liber est ieunat, simplicem habebit mercedem. **4** Si autem ille qui sub obediencia est comedit illo die ieunii carnes secundum institutionem regule et propter obedienciam, attamen libencius ieunaret, si non obsisteret obediencia, **5** iste habebit duplarem mercedem: unam propter obedienciam, aliam propter dilacionem desiderii sui et non implecionem voluntatis sue.

6 Propterea esto sicut sponsa, que prius preparat thalamum, quam veniat sponsus; secundo sicut mater, que preparat vestes, antequam nascatur puer; tertio sicut arbor, que prius portat flores, quam veniant fructus; quarto esto sicut vas mundum ad recipiendum potum aptum, priusquam infundatur.”

Verba querimonie virginis ad filiam de quodam suo ficto deuoto, comparando ipsum ad armigerum in bello corporali male armatum. Capitulum XXVII.

1 Mater loquitur: ”Ille est, qui dicit se me diligere sed vertit ad me posteriora, quando seruit michi. Cum vero loquor ei, dicit: ’Quid dicis tu?’ Auertitque oculos a me et respicit ea que eum plus delectant. **2** Iste est mirabiliter armatus, sicut ille, qui esset positus in corporali bello, cuius galee foramina essent in occipite, cuius clipeus ponendus in brachio penderet in humeris, **3** cuius gladio abiecto vagine remanerent vacue, cuius dyplois, que corpus et pectus defendere deberet, iaceret subtus eum in sella, cuius selle ligature in equo solute essent.

4 Sic iste armatus est spiritualiter coram Deo, et ideo discernere nescit inter amicum et inimicum nec scit facere dampnum hosti. **5** Spiritus vero qui pugnat cum eo est sicut ille, qui taliter cogitat: ’Ego volo esse cum ultimis in pugna, quod possim videre rubeta, si primi perdiderint bellum. Si vero vicerint, veniam ita velociter, quod computabor cum primis.’

6 Ideo qui emisit bellum fecit secundum sapienciam carnalem et non ex caritate Dei.”

Verba virginis ad filiam de tribus modis tribulacionum, qui per tres modos panum designantur. Capitulum

XXVIII.

1 Mater loquitur: "Ubi cumque conspersio panum est, debet fortiter coagitari et laborari. Sed dominis apponitur panis triticeus, communitati vero apponitur panis deterior, tertius vero panis adhuc peior datur canibus.

2 Per coagitationem ergo intelligitur tribulacio, quia spiritualis homo ex eo maxime tribulatur, quod Deus non habet honorem a creatura sua, et quod modica caritas est in ea. **3** Omnes ergo quicumque isto modo tribulantur, ipsi sunt triticum illud, de quo Deus et omnis exercitus celi gaudetur. **4** Omnis vero qui turbatur de aduersitate mundi, hii sunt quasi panis deterior; attamen valet multis ad obtainendum celum. **5** Qui vero tribulantur ex eo, quod non valent omnino mala facere, que vellent, isti sunt panes canum illorum qui sunt in inferno."

Verba Matris ad filiam, qualiter sunt quidam demones ad homines precipitandum, quidam ad retardandum, quidam in abstinenciis ad temptandum; et de modo tenendo contra istos demones. Capitulum

XXIX.

1 Mater loquitur: "Omnes istos, quos vides circumstare vos, hii sunt spirituales hostes vestri, scilicet spiritus Dyaboli. Nam qui habent perticas, in quibus cernuntur laquei, hii sunt, qui vos precipitare volunt in peccata mortalia. **2** Quos vero vides habere uncinos in manibus, hii sunt, qui vos cupiunt retardare a seruicio Dei, ut sitis ad bona accidiosi. **3** Qui vero habent instrumenta dentata, sicut furcas, quibus attrahitur et promouetur quod homo desiderat, hii sunt, qui temptant vos, ut assumeretis aliqua bona supra vires vestras, scilicet in ieuniis, vigiliis, oracionibus et laboribus, aut in irrationabili expensione pecunie vestre.

4 Quia ergo isti spiritus sic cupidi sunt ad nocendum vobis, vos tenete voluntatem istam, scilicet nolle offendere Deum, et petite auxilium Dei contra crudelitatem eorum, et tunc non nocebunt vobis eorum mine."

Verba Matris ad filiam quod preciosiora et pulchriora mundi seruis Dei non nocent, quamvis talibus utantur, dumtaxat quod ad honorem Dei utantur, et hoc per exemplum Pauli. Capitulum XXX.

1 "Scribitur, quod Paulus ille bonus apostolus dixit se esse sapientem quandam coram principe illo, qui Petrum captiuauerat, et Petrum vocauit verum pauperem. Et non peccauit Paulus in hoc, quia verba sua erant ad honorem Dei.

2 Sic est eciam cum illis qui verba Dei volunt et desiderant loqui, quia si non possunt intrare ad dominos, nisi haberent indutas competentes vestes, non peccant induendo eas, **3** dummodo aurum et vestes et lapides

preciosos non reputarent preciosiores in voluntate et corde quam assueta vestimenta antiqua, quia omnia, quecumque apparent preciosa, sunt terra.”

Verba Matris ad filiam per exemplum probancia, quod predicatores et amici Dei non minus coronantur in conspectu Dei, si gentes non conuertantur ad eorum predicacionem recta intencione factam, quam si conuertantur. Capitulum XXXI.

1 Mater Dei loquitur: ”Qui conductit operarium ad laborandum dicendo ei: ’Porta arenam de litore et inquire in quolibet onere, si forte ibi inuenire poteris granum auri!’ Non minor erit merces eius, si nichil inueniret, quam si reperiret multum.

2 Sic est eciam cum illo, qui verbo et opere ex diuina caritate laborat ad profectum animarum, non enim erit minor merces illi si nullos conuerterit quam si multos, **3** sicut magister dixit exemplum: ’Ille,’ inquit, ’bellator qui ad preceptum domini sui egrediens ad bellum et habens velle fortiter dimicandi rediret sauciatus nullum habens captiuum, non minorem mercedem obtineret amisso bello propter voluntatem bonam quam si victoriam fuisse consecutus.’

4 Sic est eciam cum amicis Dei. Nam pro quolibet verbo et opere, quod faciunt propter Deum et ut anime emendentur, necnon et pro qualibet hora tribulacionis, quam paciuntur propter Deum, coronabuntur, siue multi conuertantur siue nullus.”

Verba Matris ad filiam de infinita sua misericordia circa peccatores et eciam circa ipsam laudantes et honorantes. Capitulum XXXII.

1 Mater loquitur: ”Prouerbium est vobiscum: ’Cum tali,’ inquit, ’re potes me de patria educere.’ Sic nunc dico ego: Nullus est talis ac tantus peccator in mundo, qui dicit corde, quod filius meus, creator et redemptor omnium, est sibi amicissimus in corde et intimus, **2** quin non statim parata sum venire ad eum, sicut mater caritatis ad filium, amplectendo eum et dicendo: ’Quid,’ inquit, ’fili, placet tibi?’ **3** Qui et si promeruisset profundissimam inferni penam, haberet tamen voluntatem nichil curare de honoribus mundi nec de cupiditate eius et voluptate carnis, quam detestatur Ecclesia, nichilque iste desideraret nisi solam sustencionem suam, tunc ipse et ego statim essemus bene concordes.

4 Dic igitur illi qui scribit cantum et laudem meam, non propter laudem suam vel mercedem suam, sed propter laudem illius qui propter omnia opera sua omni laude est dignus, quod sicut principes mundi tribuunt laudatoribus suis mercedem mundi, sic spiritualiter ego remunerabo eum. **5** Quia sicut una sillaba habet super se multas notas, ita Deo placet coronam in celo dare ei pro qualibet sillaba, que est in cantu. Et dicetur de eo: ’Ecce venit laudator, qui pro nullo temporali bono dictauit cantum nisi solum propter Deum.’”

Declaracio.

6 Hic temptatus de sancta trinitate factus in extasi vidit quasi tres facies mulierum. Prima dixit: "Multis coniugiis interfueram, numquam vidi trinum et unum." Respondit secunda: "Si tres et unus, necesse est ut unus sit anterior, alias posterior, aut duo in uno." **7** Et subiunxit tercua: "Non potuerunt se ipsos facere; quis ergo fecit eos?" Tunc aperte dixit Spiritus sanctus: "Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus." Et euigilans liberatus est a temptatione.

8 Post hec dixit Christus domine Birgitte: "Ego sum trinus et unus. Ego volo tibi ostendere, quid sit potentia Patris, quid sapientia Filii, quid virtus Spiritus sancti, ut sciatur quod ego sum Deus trinus et unus: Pater et Filius et Spiritus sanctus." Et ista reuelacio completa est, ubi loquitur de pulpite.

9 Item dixit Christus: "Dic isti, quod plus merebitur apud me de infirmitate quam de sanitate. Nam Lazarus clarior factus est ex dolore, et Iob dileccior ex pacientia, nec tamen electi mei displicant michi, qui sanitatem habent, quia cor eorum est semper tecum, et corpus eorum est in discreta abstinentia et pio labore."

Verba sponse notanda de urbe Romana sub forma questionis, proponencia consolacionem et deuocionem et ordinacionem antiquitus omnium Romanorum, scilicet tam clericorum quam laycorum et cetera, quare nunc prochdolor omnia ista conuersa sunt in desolacionem et inordinacionem et abhominacionem, sicut patet in omnibus supradictis, quam infelix sit corporaliter et spiritualiter. Capitulum XXXIII.

1 Domine reuerende, inter alias collaciones intimetur domino, quam flebilis est status urbis, que quondam extitit felix et corporaliter et spiritualiter sed nunc infelix est et corporaliter et spiritualiter. **2** Corporaliter quidem, quia eius seculares principes, qui eius defensores esse deberent, facti sunt ei seuissimi raptore, et ideo domus eius delecte sunt ac multe ecclesie penitus desolate, **3** in quibus ossa benedicta sanctorum continentur, que gloriosis miraculis choruscant, quorum anime in regno Dei sublimiter coronantur. Templae eciam ipsorum tectis destructis et clausuris ablatis in latrinas mutata sunt hominum, canum et bestiarum. **4** Spiritualiter vero infelix est urbs ista, quia multe constituciones, quas sancti pape ex infusione sancti Spiritus ad Dei laudem et animarum salutem in Ecclesia statuerunt, iam delete sunt. **5** Pro quibus prochdolor multe noue abusiones ex maligni spiritus infusione ad Dei irreuerenciam et animarum perditionem sunt assumpte.

6 Constitucio quippe sancte Ecclesie fuit, quod clerici ad sacros ordines procederent beatam vitam habendo, Deo iugiter deuote seruiendo aliisque vitam celestis patrie bonis operibus ostendendo; et talibus dabantur Ecclesie redditus. **7** Sed contra hanc Ecclesie consuetudinem orta est abusio grauis in hoc, quod laycis bona donantur Ecclesie, qui uxores non ducunt propter nomen canonicale **8** sed impudenter habent concubinas in domibus suis per dies et in lectis per noctes dicentes audacter: "Nos non licet esse in coniugio, quia canonici sumus."

9 Presbiteri et dyaconi et subdyaconi olim infamiam immunde vite maxime abhorrebant. Nunc autem quidam illorum manifeste letantur ex eo, quod meretrices suas intumescente ventre cernunt inter alias ambulare, **10** nec eciam pudet eos, si ab amicis eorum dicitur eis: "Ecce, domine, cito natus erit vobis filius vel filia." Ideo tales iustius vocandi sunt lenones Dyaboli quam ordinati clericci summi Dei.

11 Sancti eciam patres Benedictus et alii ordinauerunt regulas ex licencia summorum pontificum construentes monasteria, in quibus abbates cum fratribus residere solebant horas nocturnas et diurnas deuote celebrando et monachos ad bene viuendum sollicite informando. **12** Tunc certe iocundum fuit monasteria visitare, quando die noctuque agebatur honor et gloria Deo in monachorum cantu, criminisque homines corrigebantur ex ipsorum pulcherrima vita et boni confortabantur ex diuina informacione prelatorum, necnon et anime in purgatorio existentes propter eorum deuotas oraciones beatam requiem obtinebant. **13** Tunc eciam ille monachus in maximo habebatur honore, qui regulam suam optime seruabat, et venerabatur a Deo et hominibus. Qui vero regulam tenere non curabat, sciebat indubitanter se dampnum et scandalum incursum. Tunc eciam omnis homo discernere et agnoscere poterat ex habitu, quem monachum esse.

14 Sed contra istam honestissimam constitutionem orta est detestabilis abusio in plerisque. Abbates namque frequencius in castellis suis et ubicunque eis placet intra urbem et extra commorantur. **15** Ideo dolorosum est nunc visitare monasteria. Paucissimi etenim monachi nunc in choro esse videntur horarum tempore, et aliquociens nulli. Ubi eciam parum legitur et quandoque nichil cantatur, et adhuc multis diebus misse non dicuntur. **16** De quorum mala fama boni molestantur et mali de eorum mala conuersacione grauiter peiorantur. Timendum quoque est, quod pauce anime ex talium oracionibus in penis suis aliquid consolacionis obtineant.

17 Multa eciam monachorum habitacula sunt in urbe, et quilibet habet domum per se; quorum aliqui amicis aduentientibus filios proprios amplexantur cum gaudio dicentes: "Ecce filius meus!" **18** Vix eciam agnosci potest monachus nunc in habitu. Nam tunica, que olim pedes solebat attingere, vix nunc operire potest genua. Manice vero ipsorum nunc arte sunt et tolatae, que olim honeste esse solebant et late; gladiusque appendet lateri pro stilo et tabulis. **19** Et vix reperitur in eo unicum vestimentum, in quo monachus intelligi possit, preter unum scapulare, quod multociens occultatur, ut a nemine videatur, tamquam scandalum sit aliquod portare monachale vestimentum. **20** Aliquos eciam non pudet loricam et alia arma habere sub tunicis, ad hoc ut post crepusculum facere valeant, quod eos delectat.

21 Fuerunt eciam sancti, qui magnas reliquerunt diuicias, inchoantes regulas cum paupertate, qui omnem cupiditatem contempserunt et ideo aliquid proprium habere noluerunt. **22** Abhorrebant omnem superbiam et mundi pompam operientes se pauperrimis vestibus, carnis concupiscenciam summe detestantes et ideo puram vitam tenuerunt. Isti itaque eorumque fratres dicuntur mendicantes, quorum regulas summi pontifices confirmauerunt gaudentes, quod aliqui ad honorem Dei et animarum commodum talem vitam assumere voluerunt. **23** Sed iam tristitia est eorum eciam regulas cernere mutatas in detestabiles abusiones et minime teneri, sicut Augustinus, Dominicus et Franciscus ex inspiracione Spiritus sancti dictauerunt, quas multi diuites et nobiles longo tempore optime tenuerunt. **24** Multi quippe iam inueniuntur homines, qui diuites vocantur, qui tamen in clenodiis et pecuniis pauperiores sunt illis, qui paupertatem professi sunt, sicut utique volat de eis fama. **25** Et ideo plerique eorum habent proprium, quod eorum regule vetuerunt, plus gaudentes de proprio execribili quam de paupertate sanctissima, gloriosa. Gloriantur quoque, quia in habitu suo habent pannum eque carum et preciosum sicut diuites episcopi in suis vestibus.

26 Item quedam monasteria per beatum Gregorium et per alios sanctos ad hoc sunt constructa, ut sic in eis mulieres recluderentur, quatenus vix in diebus videri possent. **27** Nunc autem abusionem in se continent nimis grauem, in eo quod porte indifferenter clericis et laycis, quibus placet sororibus introitum dare, eciam in ipsis noctibus sunt aperte. Et ideo talia loca similiora sunt lupanaribus quam sanctis claustris.

28 Constitucio eciam erat Ecclesie, quod nullus pro audiencia confessionum pecuniam reciperet, sed pro litteris, sicut esset iustum, de personis litterarum testimoniiis vere indigentibus bene licuit penitenciaris pecuniam acceptare. **29** Sed contra ista incepta est abusio per hunc modum, quod diuites persone, quantum eis placet, facta confessione offerunt; sed pauperes, antequam audiantur, cum penitenciario pactum facere compelluntur. Et certe dum penitenciarii ore tenus absoluunt, non verecundantur manibus suis sibi pecuniam imbursum.

30 Item in Ecclesia statutum fuit, ut quelibet persona peccata sua confiteretur et ad minus semel in anno acciperet corpus Christi; et hoc quoad populum laycalem. Nam clerici et claustrales hoc sepius faciunt in anno. Secundum fuit statutum, quod qui non possunt esse continentes viuerent in coniugio. **31** Tercium fuit, quod omnes Christiani ieunarent in Quadragesima et in Quatuor temporibus et aliarum festiuitatum vigiliis, que pene omnibus permanent satis note, nisi illi qui graui infirmitate aut in magna angustia essent constituti. **32** Quartum fuit constitutum, quod in diebus festiuis ab omni mundialium labore unusquisque abstineret. Quintum fuit statutum, quod nullus Christianus pecuniam siue aliquid aliud tale lucrari deberet per usuram.

33 Sed contra hec quinque statuta optima supradicta orte sunt quinque abusiones in honeste et grauiter nocie. **34** Prima est, quod centum persone, que ad annos discrecionis venerunt in Roma, sic moriuntur, quod numquam fecerunt confessionem nec corpus Christi acceperunt magis quam veri ydolatre, **35** pro qualibet persona, que confessionem facit et corpus Christi recipit exceptis sacerdotibus et religiosis et feminis aliquibus. **36** Secunda abusio est, quod multi legitimas uxores accipiunt; qui, si cum uxoribus habent discordiam, deserunt eas, quamdiu placet, auctoritate ecclesiastica minime requisita, sumentes adulteras pro uxoribus easque in honore habentes et diligentes. **37** Aliqui eciam adulteram cum uxore in eadem domo habere non abhorrent gaudentes, quod in eadem domo eas audiunt simul parturire. **38** Tertia abusio est, quod multe persone sane in ipsa Quadragesima vescuntur carnibus; et de multitudine pauci sunt, qui una comedione in die contentantur. **39** Eciam inueniuntur aliqui, qui in die se a carnibus abstinent utentes cibis quadragesimalibus sed in nocte in priuatis hospiciis carnibus saciantur. Certe clerici una cum laycis hec exercent quandoque; qui Saracenis sunt similes, qui in die ieunant et in nocte saciantur carnibus. **40** Quarta abusio est, quod quamvis aliqui operarii a labore per dies festiuos abstineant, tamen diuites aliqui mercenarios suos ad laborandum in vineis, ad arandum in agris, ad excidendum ligna in siluis ad deferendumque illa in sua domicilia per dies festos mittere non desistunt, et sic pauperes non maiori quiete diebus festiuis quam ferialibus gratulantur. **41** Quinta abusio est, quod Christiani ita sicut Iudei exercent usuram; et vere Christiani usurarii cupidiores sunt Iudeis.

42 Item statutum Ecclesie fuit, quod tales homines, quales iam numerati sunt, anathemate domarentur, contra que talis abusio inchoata est. Multi quippe non magis abhorrent malediccionem quam benedictionem; qui eciam si se excommunicatos nouerint publice, sancte Ecclesie introitum vel conuersacionem hominum seu colloquia non curant euitare. **43** Pauci enim presbiteri excommunicatis ecclesie ingressum prohibent. Pauci eciam excommunicatorum conuersacionem et colloquia abhominantur, si eis aliqua amicabilitate coniuncti sunt. Nec eciam excommunicatis, si diuites sunt, sacra sepultura denegatur.

44 Igitur, domine, non miremini, si nominaui Romam urbem infelicem pro talibus abusionibus et multis aliis ecclesiasticis statutis grauiter contrariis. **45** Quare timendum est Catholicam fidem in breui deperire, nisi talis venerit, qui Deum super omnia et proximum suum sicut se ipsum diligit fide non facta omnes abusiones abolendo. **46** Compatimini ergo Ecclesie et eius clero, qui toto corde diligit Deum, abhorrentes

omnes malas consuetudines; qui propter absenciam Pape quasi orphani fuerunt, tamen filialiter Patris sedem defenderunt proditoribusque sapienter restiterunt in multis tribulacionibus perseuerando.

Visio sponse de penis diuersis, que preparabantur cuidam anime adhuc in corpore existenti; et qualiter omnia illa genera penarum, si conuersa esset anima ante mortem, conuerti deberent in maximum honorem et gloriam. Capitulum XXXIII.

1 Videbatur michi, quod quasi viderem homines stantes et preparantes funes, alii vero stabant et preparabant equos, alii fabricabant forlices, alii autem patibulum edificabant. **2** Cumque hec viderem, apparuit virgo quedam quasi turbata, querens si hec intelligerem; et me respondente non intelligere respondit: "Hec omnia," inquit, "que vidisti, pena est spiritualis, que paratur anime illius quem tu noscis. **3** Funes sunt ad ligandum equum, qui animam est trahiturus. Forlices vero ad discerpendum nares, oculos, aures et labia; patibulumque ad suspendendum."

4 Cumque ego de hiis turbarer, respondit iterum virgo: "Noli turbari. Adhuc enim est tempus, quod si velit, poterit disrumpere funes, subuertere equos, forlices sicut ceram liquefcere potestque patibulum remouere. **5** Insuper et sic ardenter caritatem potest habere ad Deum, quod ista signa penarum erunt ei ad maximum honorem, in tantum quod funes, quibus contemptibiliter ligari teneretur, vertentur ei in zonas aureas. **6** Pro equis vero, quibus per plateas trahi deberet, mittentur ei angeli ducentes eum ante conspectum Dei. Pro forpicibus vero, quibus contemptibiliter deberet discerpi, dabitur naribus melior odoratus, ori melior sapor, oculis pulcherrima visio, auribus delectabilissima melodia."

Declaracio.

7 Hic fuit marscalcus regis, qui veniens Romam tantum humiliatus et compunctus est, quod discooperto capite circuiret frequencius staciones rogans Deum et rogari faciens, ut non rediret ad patriam, si contingaret eum relabi in peccata priora. **8** Cuius vocem exaudiuit Deus. Nam exiens de Roma cum venisset in monte Flasconis, ibi infirmatus est et mortuus. De quo facta est alia reuelacio: **9** "Vide, filia, quid facit misericordia Dei, quid facit voluntas bona. Ista anima fuit in fauibus leonis, sed voluntas bona eripuit eam de dentibus leonis, et iam est in via ad patriam et particeps erit omnium bonorum, que fiunt in Ecclesia Dei."

Verba sponse ad Iesum Christum de desiderio saluacionis animarum; et de responsione sibi in Spiritu sancto facta, quod excessus et superfluitas hominum in potu et in cibo et cetera resistunt visitacionibus Spiritus sancti sibi missis. Capitulum XXXV.

1 O, dulcissime Iesu, creator omnium eorum que creata sunt! Utinam isti agnoscerent et intelligent calorem Spiritus tui sancti! Plus enim tunc appeterent celestia et terrena feruencius abhominarentur. **2** Et statim responsum est michi in spiritu: "Eorum," inquit, "excessus et superfluitas resistunt Spiritus sancti visitacionibus. Nam excessus in cibis et potibus et in amicorum inuitacionibus obsistunt, ne Spiritus sanctus dulcescat eis et ne sacientur de mundi delectacione. **3** Excessus vero in auro et argento, in vasis et

vestimentis et in redditibus obsistit, ne spiritus caritatis mee inflammet corda eorum et accendat. Excessus quoque in famulis et equis et animalibus resistit, ne Spiritus sanctus appropinquet eis; **4** ymmo elongant se ab eis seruitores eorum, angeli mei, et appropinquant proditores Dyaboli. Ideo ignorant dulcedinem illam et visitacionem, qua ego, qui Deus sum, visito animas sanctas et amicos meos.”

Verba Dei ad sponsam, qualiter religiosi antiquitus in monasteria timore et diuina caritate ingrediebantur; et nunc quod inimici Dei, id est falsi religiosi, exeunt in mundum pro superbia et iniqua cupiditate et cetera; et sic de militibus in sua milicia. Capitulum XXXVI.

1 ”Audi nunc, quid inimici mei faciunt contra ea, que amici mei olim fecerunt. Denique amici mei ingrediebantur monasteria ex discreto timore et diuina caritate. **2** Sed hii qui nunc sunt in monasteriis vadunt in mundum pro superbia et cupiditate habentes propriam voluntatem facientesque corporis sui delectamenta. **3** Istorum ergo, qui in tali voluntate moriuntur, iusticia est, quod non senciant nec obtineant celeste gaudium sed penam in inferno sine fine. Scito eciam, quod claustrales qui coguntur contra velle proprium ex diuina caritate fieri prelati non sunt in eodem numero computandi. **4** Milites quoque, qui olim portabant arma, erant parati dare vitam pro iusticia et fundere sanguinem propter fidem sanctam, indigentes promouendo ad iusticiam, malosque faciebant deprimere et humiliare.

5 Sed nunc audi, quomodo auersi sunt. Placet quippe nunc eis magis mori in bello pro superbia et cupiditate et inuidia, iuxta dyabolicas suggestiones, quam secundum mandata mea viuere ad obtainendum gaudium sempiternum. **6** Ergo omnes, qui in tali voluntate moriuntur, dabitur eis stipendum ex iudicio iusticie. Hoc est, quod dabuntur Dyaboli animabus eorum in stipendum in eterna eorum coniunctione. Hii vero qui michi seruiunt tenentur habere stipendum cum celesti exercitu sine fine.”

Verba Christi ad sponsam inquirencia ab ea, qualiter mundus stat; et de sponse responsione, scilicet quod stat sicut saccus expansus, ad quem omnes indiscrete concurrunt; et de crudelissima Christi sentencia et iusta contra tales. Capitulum XXXVII.

1 Filius loquitur: ”Quomodo, filia, stat modo mundus?” Et illa: ”Sicut saccus expansus, ad quem currunt omnes, et sicut homo currens non curans, quid sequatur.” **2** Respondit Dominus: ”Ideo iusticia est, ut vadam cum aratro meo super mundum, super gentiles et christianos; non parcam seni et iuueni, non pauperi et diuiti. **3** Sed unusquisque iudicabitur secundum iusticiam suam, et unusquisque morietur in peccato suo, et relinquentur domus sine habitatoribus, nec tamen faciam adhuc consummacionem.”

4 Et illa: ”O, Domine, ne,” inquit, ”indigneris, si loquar. Mitte aliquos de amicis tuis, qui precaueant et premoneant eos de periculo suo!” **5** Et Dominus: ”Scriptum est,” inquit, ”quod diues in inferno desperans de salute sua propria peciit, ut aliquis mitteretur ad precaendum fratres suos, ne similiter perirent. **6** Et responsum est ei: ’Nequaquam fiet hoc, quia habent Moysen et prophetas, a quibus doceri possunt.’ **7** Sic ego dico nunc: Habent euangelia et dicta prophetarum, habent exempla et verba doctorum, habent rationem et intelligenciam. Utantur ergo eis et saluabuntur. **8** Nam si misero te, non ita alte clamare poteris, ut

audiaris. Si misero amicos meos, pauci sunt; et si clamauerint, vix audientur. Verumtamen mittam amicos meos ad quos michi placuerit, et preparabunt viam Deo.”

Verba Iesu Christi ad sponsam de fide non habenda in somniis, ymmo precauenda quantumcumque leta vel tristia; et quomodo Dyabolus in talibus falsitatem admiscet veritati, propter que insurgunt in mundo multi errores; et quod prophete ideo non errauerunt, quia super omnia veraciter Deum dilexerunt.

Capitulum XXXVIII.

1 Filius loquitur: ”Quid te sic eleuant somnia leta? Cur sic vero te deprimunt somnia tristia? Numquid non dixeram tibi, quod Dyabolus inuidus est et quod sine permissione Dei plus facere non poterit quam stramen ante pedes tuos? **2** Dixi eciam, quod ipse est pater et inuentor mendacii et quod in omnibus falsitatibus suis admiscet veritatem. Propterea dico tibi, quod Dyabolus non dormit sed circuit, ut inueniat aliquam occasionem. **3** Ideo caudum est tibi, quod Dyabolus, qui ex subtilitate sciencie sue ex motibus exterioribus deprehendit interiora, non decipiatur te. Nam quandoque mittit cordi leta, ut inaniter gaudeas, quandoque tristia, ut dolendo dimittas aliqua bona, que potuisses facere, et ut ante miserias fias misera et dolorosa. **4** Quandoque eciam Dyabolus immittit cordi deluso et volenti placere mundo multas falsitates, per quas decipiuntur multi, sicut falsis prophetis. Et hoc contingit homini qui plus aliud diligit quam ipsum Deum. **5** Ideo contingit, quod in multis falsis verbis inueniuntur multa vera, quia Dyabolus numquam decipere posset, nisi falsitati admiseret veritatem, sicut patuit in illo arrepticio quem vidisti; **6** qui licet confiteretur unum Deum, impudicus tamen gestus et verba alia extranea ostendebant, quod Dyabolus erat in eo possessor et inhabitator.

7 Nunc autem querere poteris: Cur permitto Dyabolo mentiri? Respondeo: Hoc permisi et permitto propter peccata populorum et clericorum, qui illa scire voluerunt, que Deus noluit eos scire, et ibi prosperari desiderabant, ubi Deus videbat saluti eorum non proficere. **8** Propterea Deus multa permittit propter peccata, que non contingent, si homo non abuteretur gratia et ratione. Illi vero prophete qui nichil desiderabant nisi Deum nec verba Dei loqui voluerunt nisi propter Deum, isti non decipiebantur sed verba veritatis loquebantur et dilexerunt.

9 Verumtamen sicut omnia somnia non sunt recipienda, sic nec omnia sunt contempnenda, quia quandoque Deus eciam malis inspirat bona et exitus suos, ut resipiscant a peccatis suis, quandoque eciam bonis bona in somniis, ut amplius proficiant ad Deum. **10** Ideo quando et quociens tibi aliqua talia occurserint, non apponas cor tuum sed pondera et discerne illa cum amicis tuis sapientibus spiritualibus, aut dimitte et exclude illa de corde tuo quasi non visa, quia qui talibus delectatur frequencius illuditur et perturbatur. **11** Ergo esto stabilis in fide sancte Trinitatis, dilige Deum toto corde, esto obediens tam in contrariis quam in prosperis, nulli te preferas in cogitationibus sed time eciam in benefactis, non preferas sensus tuos sensibus aliorum voluntatemque tuam totam committe Deo parata ad omnia, que velit Deus. **12** Tunc timere non habes somnia. Si enim leta fuerint, non credas eis vel non appetas, nisi ibi perpendatur honor Dei; si vero tristia fuerint, non contristeris sed pone te totam ad Deum.”

13 Deinde loquitur Mater: ”Ego sum Mater misericordie, que filie dormienti preparo vestes, filie induenti se preparo cibum, filie laboranti preparo coronam et omne bonum.”

Verba Matris ad Filium de sponsa; et de responsione Christi ad Matrem. Iterum verba Matris, quid designatur per leonem et per agnum; et qualiter Deus permittit propter ingratitudinem et impacienciam hominum euenire que eis aliter non euenirent. Capitulum XXXIX.

1 Mater loquitur ad Filium Iesum dicens: "Filia nostra est quasi agnus, qui ponit caput suum in os leonis."

2 Cui respondit Filius: "Melius est, quod ponat agnus caput in os leonis, ut fiat cum leone una caro et unus sanguis, quam quod agnus sugat sanguinem de carne leonis, unde et leo indignaretur et agnus, cuius cibus est fenum, infirmaretur. **3** Verumptamen, Mater carissima, quia omnem sapienciam et plenitudinem tocius prudencie portasti in utero tuo, fac istam intelligere, quid sit leo et quid sit agnus."

4 Respondit Mater: "Benedictus sis tu, Fili mi, qui eternaliter manens cum Patre descendisti ad me et tamen te a Patre numquam separasti. Tu denique es leo, sed de tribu Iuda. Tu agnus sine macula, quem Iohannes digito demonstrauit. **5** Ille ergo ponit caput in os leonis, qui omnem voluntatem suam committit Deo nec eam, eciam si posset, perficere vellet, nisi tibi sciret complacere. **6** Ille vero sugit sanguinem leonis, qui de iusticia et dispositione tua impaciens optat et nititur ad alia obtainenda quam tu ei constitueras, velletque in alio statu existere quam tibi placeret et sibi ipsi expediret. De talibus enim non placatur Deus sed ad iram prouocatur. **7** Sicut enim agni cibus est fenum, sic homo de humilibus rebus et statu contentari debet. Et ideo propter ingratitudinem et impacienciam hominum multa permittit Deus, que saluti hominum, si pacientes essent, non euenirent.

8 Ideo, filia, da voluntatem tuam Deo, et si minus quandoque fueris paciens, surge per penitenciam, quia penitencia est sicut bona lotrix macularum, contricio vero est bona candidatrix."

Verba Christi ad sponsam declarancia, que sit Christiana mors et quomodo homo bene moritur vel male et quomodo amici Dei non debent tribulari, si videant seruos Dei corporaliter mori crudeliter. Capitulum XL.

1 Filius loquitur: "Noli timere, filia: non morietur ista infirma, quia placent michi opera eius." Cumque illa esset mortua, iterum dixit Filius: "Ecce, filia, verum est quod dixi tibi. Non est ista mortua, quia gloria eius magna est. **2** Nam separacio corporis et anime iustorum non est nisi sompnus, quia vigilant in eterna vita. Illa vero dicenda est mors, quando anima separata a corpore viuit in eterna morte.

3 Multi quippe non attendentes futura optant, ut moriantur Christiana morte. Quid enim est Christiana mors nisi mori, sicut ego mortuus sum: innocenter, voluntarie et pacienter? **4** Numquid ego ideo contemptus sum, quia mors erat contemptibilis et dura? Aut ideo electi mei fatui, quia contemptibilia paciebantur? Aut hoc voluit fortuna et operabatur cursus stellarum? Nequaquam. **5** Sed ideo ego et electi mei paciebamur dura, ut ostenderemus verbo et exemplo viam ad celum esse duram et ut assidue cogitaretur, quanta opus est mundicia malis, si tam aspera passi sunt electi et innocentes.

6 Ergo scito, quod ille moritur contemptibiliter et male qui dissolute viuens moritur in voluntate peccandi, qui habens mundi processum optat, ut longius viuat, et nescit regraciari Deo. **7** Qui vero Deum diligit toto corde et tribulatur innocenter despектa morte aut longa infirmitate grauatur, ille et viuit et moritur feliciter, quia mors aspera et minuit peccatum et penam peccati augetque coronam. **8** Ecce reduco tibi ad memoriam duos, qui despecta et amara morte iudicio hominum moriebantur; qui nisi talem mortem ex misericordia

mea magna obtinuissent, saluati non fuissent. Sed quia Dominus non pungit bis contritos corde, ideo venerunt ad coronam.

9 Propterea amici Dei non debent contristari, si flagellantur temporaliter aut si amara morte moriuntur, quia felicissimum est lugere ad horam et turbari in mundo, ne veniatur ad purgatorium grauius, ubi non erit fuga nec tempus laborandi.”

Verba Matris ad filiam, quod sacerdotes rite habentes absolucionis officium, quantumcumque peccatores sint, possunt absoluere a peccatis; et sic de sacramento Eucharistie. Capitulum XLI.

1 Mater loquitur: ”Vade ad eum qui officium absolucionis habet. Quantumcumque enim ostiarius leprosus est, nichilominus aperire potest portam, si habet claves sicut sanus. **2** Ita eciam est de absolucione et sacramento altaris. Qualiscumque enim minister est, si tamen rite habet officium absolucionis, potest absoluere a peccatis. Ideo nullus est contempnendus.

3 Verumtamen premoneo eum de duobus. Unum est, quod illud, quod carnaliter diligit et optat, non habebit; aliud est, quod vita eius breuiabitur ciecius. **4** Et sicut formica portans die ac nocte granum aliquando, cum appropinquat foramini, cadit et moritur in introitu grano remanente ab extra, sic ipse, cum inceperit peruenire ad fructum laboris sui, morietur et pro superuacuo labore suo confundetur et punietur.”

Verba Matris ad filiam, qualiter mores boni et opera iusticie per postes in amicis Dei designantur; et quomodo serui Dei debent carere a detraccione. Capitulum XLII.

1 Mater loquitur: ”Amici Dei dicuntur esse quasi duo postes, per quos ingressuri sunt alii. Ideo cauendum est diligenter, ne quid asperum vel durum obsistat ingredientibus, aut unde comprimantur. **2** Quid autem significant postes nisi mores compositos operaque iusticie et verba edificatoria, que apparere debent cotidie in amicis Dei? **3** Ideo caueatur attente, ne quid durum, id est verbum detractorum vel scurrile inueniatur in ore amicorum Dei, aut in operibus eorum aliqua mundalia notentur, propter que ingredi volentes refugiant et ingredi abhominentur.”

Verba Matris Dei ad filiam, qualiter mali pastores assimilantur vermi corrodenti arboris radices.
Capitulum XLIII.

1 Mater loquitur: ”Isti sunt similes vermi, qui videns semen optimum non curat, quantumcumque fructus pereat vel cadat, dummodo radices seu proximiora terre carpere possit. **2** Sic isti non curant, quod anime pereant, si lucra sua et bona temporalia consequantur. Ideo veniet eis iusticia Filii mei, et ciecius subtrahentur. **3** Respondit illa: ”Omne tempus apud Deum non est nisi quasi momentum statere, quantumcumque apud nos est longum. Ideo pacienza Filii tui magna est eciam super iniquos.” **4** Respondit

Mater: "Vere dico tibi: Non protrahetur iudicium eorum sed veniet eis horribile, et rapientur a deliciis ad confusione."

Verba Christi ad sponsam, qualiter corpus per nauem et mundus per mare designantur; et qualiter voluntas est libera ad animas perducendum in celum vel in infernum; et qualiter terrena pulchritudo vitro comparatur. Capitulum XLIII.

1 Filius loquitur: "Audi tu, que desideras portum post mundi procellas. Omnis, quicumque in mari est, non debet timere aliquid, si ille cum eo stat qui prohibere potest ventos, ne flent; **2** qui omnia corporalia, que nocere volunt, iubet abscedere scopolosque mollescere; qui procellis imperat, ut nauem perducant ad quietum portum. **3** Sic corporaliter in mundo aliqui sunt quasi nauis perducens corpus super aquas mundi aliis in consolacionem, aliis in tribulacionem, quia voluntas hominis libera quasdam animas perducit in celum, quasdam in profundum inferni. **4** Illa ergo voluntas que nichil desiderat feruencius audire quam honorem Dei nec ad aliud viuere, quam ut possit Deo seruire, ipsa placet Deo, quia in tali voluntate gaudenter moratur Deus et mitigat omnia pericula anime scopolosque quietat, in quibus anima multociens periclitatur.

5 Quid autem sunt scopuli nisi desiderium malum? Nam delectabile est videre possessiones mundi et possidere, gaudere de corporis sui honore et gustare quidquid delectat carnem. In talibus enim multociens periclitatur anima. **6** Sed quando Deus in nauis est, omnia ista mollescunt et anima omnia ista contempnit, quia omnis pulchritudo corporea et terrena similis est vitro depicto ab extra sed intus pleno terra. **7** Fracto autem vitro non habet plus utilitatis quam terra nigra, que ad nichil aliud creata est, ut possideatur, nisi ut per eam ematur celum. **8** Itaque omnis homo, qui non plus desiderat audire honorem suum seu mundi quam nocuum aerem, qui omnia membra corporis sui mortificat et voluptatem carnis sue abominabilem detestatur, hic quiete requiescere potest et gaudenter euigilare, quia Deus est cum eo in omni hora."

Verba querimonie sponse coram diuina maiestate ex eo, quod quatuor sorores filie regis Iesu Christi, scilicet Humilitas, Abstinencia, Contentacio et Caritas nunc prochdolor adnichilantur, et sorores filie regis Dyaboli, scilicet Superbia, Delectacio, Superfluitas et Simonia vocantur domine. Capitulum XLV.

1 Conqueror non solum ex parte mea sed eciam ex parte multorum electorum Dei coram maiestate vestra, quod erant quatuor sorores filie potentis regis, quarum quelibet habebat sedem et potestatem in patrimonio suo. **2** Quicumque enim volebant inspicere pulchritudinem istarum sororum obtinebant consolacionem ex pulchritudine earum et bona exempla ex earum deuocione. **3** Prima vocabatur soror Humilitas in omnium agendarum rerum disposizione. Secunda vocabatur soror Abstinencia ab omni inquinata conuersacione. **4** Tercia vocabatur soror Contentacio sine omni superfluitate. Quarta vocabatur soror Caritas in proximorum tribulacione. Iste autem quatuor sorores sunt iam in patrimonio suo adnichilate et quasi ab omnibus contempte.

5 In quarum sedibus sunt alie quatuor illegittime sorores institute, que a fornicario progenite sunt et vocantur iam domine. **6** Quarum prima vocatur domina Superbia, que est ad placendum mundo. Secunda

vocatur domina Delectacio secundum omnem carnis appetitum. Tercia vocatur domina Superfluitas super omnem necessitatem. **7** Quarta vocatur domina Simonia, a cuius decepcione se quasi nullus custodire potest, quia utrum iuste vel iniuste acquisitum sit quod recipit, tamen omnia recipit cum cupiditate. **8** Iste vero quatuor domine loquuntur contra precepta Dei volentes ea annichilare et tribuunt occasionem multis animabus ad eternam dampnacionem.

9 Propterea facite propter caritatem, quam Deus vobiscum fecit, et iuuate istas quatuor sorores que vocantur virtutes, que processerunt de ipsa virtute Iesu Christo summo rege; **10** que et iam depresse sunt in sancta Ecclesia, que est patrimonium Christi, ut exalentur cicius et ut vicia, que vocantur domine in mundo, deprimantur. Que sunt proditrices animarum, quia nate sunt de ipso vicio Dyabolo proditore.

*Verba monitionis sponse ad quandam dominum de restitucione facienda de iniuste acquisitis; et de voce
angeli sentenciam contra ipsum proferentis crudelem. Capitulum XLVI.*

1 Domine, vos de periculo anime vestre precaueo reducendo ad memoriam, quomodo rex quidam in veteri Testamento legitur unius hominis vineam desiderasse et pro vinea plenum premium prebusse. **2** Sed quia possessori non placuit vineam vendere, indignatus rex vineam sibi per iniusticiam et violenciam usurpauit; ad quem postmodum Spiritus sanctus per os unius prophete loquebatur, indicans regem et reginam pro illa iniusticia turpissima morte debere mori. **3** Quod vere in eis completum est, ipsorumque liberi de predicte vinee possessione nequaquam sunt letati.

4 Nunc igitur, cum vos Christianus estis et fidem integraliter habetis et scitis certissime eundem Deum nunc esse, qui tunc erat et ita potentem et iustum sicut tunc, ideo sine omni hesitacione scire potestis, **5** quod si aliquid possidere desideraueritis iniuste aut cogendo possessorem ad vendendum contra velle suum aut nullum premium pro eo exhibendo, vindicta erit ille potens et iustus iudex. **6** Vos quoque in doloribus timere habetis tale iudicium super vos venire, quale super illam reginam legitur peruenisse, vestrosque liberos de male acquisitis non ditari sed magis inopia tribulari.

7 Te igitur per Iesu Christi passionem, qui tuam animam suo precioso sanguine redemit, hortor et ammoneo, ut animam tuam pro aliquibus transitoris personaliter non disperdas sed omnibus iniuste a te vel ob tui causam dampnificatis plene satisfacias, **8** et quidquid iniuste acquisisti restituas illis ad consolacionem, qui nunc dolorem paciuntur, atque aliis in exemplum, si Dei amiciciam volueris obtinere.

9 Deus est michi testis, quod tibi ista non scribo a me, cum tui noticiam non habeo, sed illud quod uni persone contigit, hoc me cum diuina compassione anime tue compulit ad scribendum. **10** Illa enim persona non dormiens sed vigilans audiuit in oracionibus suis vocem angelus dicentis: "Urse, Urse, qui nimis audax es contra Deum et iusticiam! **11** Tua voluntas vicit in te conscientiam tuam ita, quod conscientia tua omnino tacet, et voluntas loquitur et operatur. Ideo cito venies in iudicium ante iudicium Dei; et voluntas tua silencium tenebit, et conscientia tua loquetur, et te ipsum secundum iusticie rectitudinem iudicabit."

Verba Filii ad sponsam, quomodo a Dyaboli temptationibus debeamus precauere; et qualiter Dyabolus per hostem, Deus per gallinam, eius potencia et sapiencia per alas, eius misericordia per pennis et homines per pullos designantur. Capitulum XLVII.

1 Filius loquitur: "Si hostis pulsat ad ianuam, non debetis esse sicut capree currentes ad murum nec sicut arietes, qui eleuantes se pedibus anterioribus mutuo se impingunt cornibus; **2** sed estote sicut pulli, qui videntes in aere auem volentem nocere eis fugiunt sub alas matris, ut abscondantur; qui eciam, si non plus quam unam pennam matris valent apprehendere et sub illa se contegere, gaudent.

3 Quis autem est hostis vester nisi Dyabolus, qui omnibus bonis actibus inuidet, cuius pulsare est mentem hominis temptationibus commouere? **4** Pulsat quippe quandoque ira et detracione, quandoque impaciencia et diiudicacione iudiciorum Dei, quando scilicet omnia non succedunt ad votum suum. **5** Ymmo eciam frequencius pulsat et inquietat vos innumeris cogitationibus, ut a seruicio Dei abstrahamini et ut opera vestra bona apud Deum offuscentur.

6 Ideo, qualescumque fuerint temptationes vestre, non debetis dimittere locum vestrum nec esse sicut capree currentes ad murum, id est habere duriciam cordis, aut iudicare opera aliena in cordibus vestris, quia sepius qui hodie est malus, cras bonus est. **7** Sed debetis submittere cornua vestra et stare et auscultare, id est humiliare vos et timere habendo pacienciam et rogando Deum, ut male incepta in meliora conuertantur. **8** Nec eciam esse debetis sicut arietes ventilantes cornibus, id est verba dare pro verbis et improperia iungere improperiis, sed stare debetis constanter supra pedes et silere, id est fortiter reprehendere affeciones carnis, **9** ut in loquendo et respondendo habeatis premeditacionem et violenciam quandam cum paciencia, quia viri iusti est vincere se ipsum et a licitis eciam locucionibus propter vitandum multiloquium et offensam abstinere. **10** Nam qui in commocione animi effundit nimis quod sentit videtur quodammodo vindicasse se ipsum et indicasse leuitatem animi sui; et ideo vacuus erit a corona, quia noluit habere pacienciam ad tempus, propter quam pacienciam et fratrem offendentem lucratus fuisse et se ipsum ad maiorem coronam preparasset.

11 Quid vero sunt ale galline nisi potencia et sapiencia diuina? Ego quippe sum quasi gallina, qui pullos currentes ad vocem meam, id est desiderantes obumbracionem alarum mearum, et potenter defendo a Dyaboli laqueis et sapienter inspiracionibus meis prouoco ad salutem. **12** Quid vero est penna nisi misericordia mea. Quam qui obtinuerit ita securus esse potest sicut pullus, qui sub alis matris refouetur.

13 Ergo estote sicut pulli currentes ad voluntatem meam, et in omnibus temptationibus et contrariis dicite voce et operibus: Fiat voluntas Dei! **14** Quia ego confidentes in me defendo potencia mea, reficio misericordia mea, teneo paciencia mea, visito consolacione mea, illumino sapiencia mea, remunero in centuplum caritate mea."

Verba Filii ad sponsam de quodam rege, qualiter debeat augere Dei honorem et caritatem ad animas; et de sentencia contra eum, si non fecerit. Capitulum XLVIII.

1 Filius loquitur: "Si iste velit me honorare, minuat primo dedecus meum et augeat honorem meum. Dedecus quippe meum est, quod precepta mea, que precepi, et verba, que personaliter locutus fui,

contempnuntur et quasi a pluribus pro nichilo reputantur. **2** Si igitur velit me diligere, habeat ammodo maiorem caritatem ad animas omnium, pro quibus ego aperui celum cum sanguine cordis mei. **3** Si autem plus desiderat requiem, que est cum Deo, quam dilatare patrimonium suum, habebit profecto maiorem delectacionem et auxilium a Deo reuincere locum illum Ierusalem, in quo iacuit corpus meum mortuum.

4 Dic insuper tu, que hec audis: Ego Deus permisi eum coronari. Ideo ad ipsum pertinet plus sequi voluntatem meam et me super omnia honorare et diligere. **5** Quod si non fecerit, breuiabuntur dies eius. Hii quoque, qui carnaliter eum diligunt, separabuntur ab eo cum tribulacione, regnumque eius in plures partes diuidetur.”

Visio sponse sub figura Ecclesie; et de eius exposicione, in qua continentur modus et status, quos Papa debet tenere respectu sui et respectu cardinalium et aliorum prelatorum sancte matris Ecclesie, et quam maxime in statu humilitatis. Capitulum XLIX.

1 Uni persone videbatur, quasi quod esset in magno choro, et apparuit sol magnus et lucens, dueque sedes quasi predicatorum in choro erant, una a dextris aliaque a sinistris distantes a sole longo spacio et interuallo, duoque radii de sole ad sedes procedebant.

2 Tunc vox una audiebatur de sede que ad sinistram partem erat dicens: ”Aue, rex, in eternum, creator et redemptor iustusque iudex! Ecce vicarius tuus, qui sedet in sede tua in mundo, reduxit iam sedem suam in antiquum et priorem locum, ubi sedet primus papa Petrus, qui fuit princeps apostolorum.” **3** Respondit vox de dextra sede dicens: ”Quomodo,” inquit, ”poterit intrare in sanctam Ecclesiam, in qua foramina cardinum sunt plena rubigine et terra? **4** Ideo et postes inclinati sunt ad terram, quia in foraminibus non est locus, ubi uncini imprimantur, qui postes deberent sustentare. Uncini quoque sunt extensi ad plenum nichilque curuati ad postes tenendum. **5** Pauimentum vero totum effossum est et conuersum in foueas profundas ad modum puteorum profundissimorum, qui nullum omnino habent fundum. **6** Tectum autem est linitum pice et ardet de igne sulphureo stillans quasi pluua densa. **7** De nigredine vero et spissitudine fumi, qui de abyssو fossarum et de stillicidiis tecti ascendit, omnes parietes maculati sunt et ita deformes in colore ad intuendum, quasi sanguis commixtus putrida sanie. **8** Ideo amicum Dei non decet habere mansionem in tali templo.”

9 Respondit vox de sede ad partem sinistram: ”Expone,” inquit, ”spiritualiter, que dixisti corporaliter.” **10** Tunc ait vox: ”Papa similatur et designatur in postibus; in foraminibus vero cardinum significatur humilitas, que sic vacua debet esse ab omni superbia, ut nichil appareat in ea nisi quod pertinet ad officium humile pontificale, sicut foramen debet esse vacuum totaliter a rubigine. **11** Sed iam foramina, id est humilitatis insignia sunt ita repleta superfluitatibus et diuiciis et facultatibus, que ad nichil aliud custodiuntur nisi ad superbiam, quod nichil appareat humile, quia tota humilitas conuersa est ad mundanam pompam. **12** Ideo non mirum, quod Papa, qui similatur in postibus, inclinatus est ad mundalia, que significantur in rubigine et in terra. **13** Propterea Papa incipiat veram humilitatem in se ipso; primo in apparatu suo, in vestibus, in auro et argento et vasis argenteis, in equis et aliis utensilibus, segregando de eis omnibus sola necessaria sua, alia vero erogando pauperibus et specialiter hiis, quos nouerit amicos Dei. **14** Deinde moderate disponat familiam suam et necessarios habeat famulos, qui vitam suam custodian. **15** Quia licet in manu Dei est, quando eum velit vocare ad iudicium, iustum tamen est quod habeat famulos

propter roborandam iusticiam et ut eos, qui se contra Deum et sanctam Ecclesie consuetudinem erigunt, valeat humiliare.

16 In uncinis vero, qui postibus coniunguntur, significantur cardinales, qui extenti et effusi sunt, in quantum valent, ad omnem superbiam, cupiditatem et carnis delectamentum. **17** Ideo recipiat Papa in manu malleum et forpicem et flectat cardines ad velle suum non permittendo eos habere plura de vestibus, de familia et de utensilibus, nisi quantum requirit necessitas et usus vite. **18** Flectatque eos forpice, id est verbis lenibus et consilio diuino paternaque caritate; qui si noluerint obedire, recipiat malleum ostendendo scilicet eis seueritatem suam faciendoque quidquid poterit, quod tamen non sit contra iusticiam, donec flectantur ad velle suum.

19 In paumento autem significantur episcopi et clerici seculares, quorum cupiditas nullum habet fundum; de quorum superbia et vita luxuriosa procedit fumus, ob quem abhominantur eos omnes angeli in celis et amici Dei in terris. **20** Ista enim emendare potest Papa in multis, si unumquemque permittat habere necessaria non superflua precipiatque unicuique episcopo attendere ad cleri sui vitam. **21** Et omnis, quicumque noluerit emendare vitam suam et stare in continencia, priuetur omnino prebenda sua, quia carius est Deo, quod in illo loco non dicatur missa, quam quod manus meretrice tangent corpus Dei.”

Visio incomprehensibilis sponse de iudicio multarum personarum adhuc viuencium, in qua audiuit: "Si homines emendauerint peccata, et ego iudicium mitigabo." Capitulum L.

1 Michi videbatur, quasi quod unus rex sederet in sede iudicaria, et quelibet persona viuens staret ante illum; quelibetque persona habebat duos stantes iuxta se, quorum unus apparebat, quod esset quasi miles armatus, alter vero quasi Ethiops niger. **2** Ante vero iudicium stabat pulpum, in quo iacebat liber eo modo dispositus, sicut vidi prius, cum ante eum tres reges viderem stare. **3** Vidi eciam, quod quasi totus mundus staret ante pulpum, et audiui tunc iudicem dicentem ad militem illum armatum: "Voca," inquit, "ante iudicium illos, quibus tu seruuiisti cum caritate!"

4 Et mox illi qui nominabantur ceciderunt. Quorum quidam iacuerunt longiori mora, quidam breviori, antequam anime separarentur a corpore. **5** Omnia autem, quecumque audiui et vidi tunc, non valeo comprehendere, quia audiui iudicia multorum adhuc viuencium, qui adhuc cito vocabuntur. **6** Attamen sic dictum est michi a iudice: "Si," inquit, "emendauerint peccata homines, et ego iudicium mitigabo." Multos quoque tunc vidi iudicari, quosdam ad purgatorium, alios ad ve sempiternum.

Visio admirabilis et terribilis sponse de quadam anima ante iudicem presentata et de oppositionibus Dei et libri iudicii contra animam et de responsionibus anime contra se ipsam et de diuersis penitentibus stupendis sibi ad purgacionem latiss. Capitulum LI.

1 Michi videbatur quasi quod una anima per militem et Ethiopem, quos videram prius, ante iudicem presentaretur dictumque est michi: "Hoc," inquit, "quod tibi nunc videtur, hoc totum factum est super animam istam eo tempore, quo a corpore soluebatur." **2** Cumque anima presentata fuisset iudici, stabat

sola, quia in neutrius manibus erat eorum qui eam presentabant; stabat quoque nuda et dolorosa ignorans, ad que deueniret. **3** Deinde videbatur michi, quod quodlibet verbum in libro respondebat per se ipsum ad omnia, quecumque anima loquebatur.

4 Igitur audiente iudice et omni exercitu eius miles ille armatus loquebatur primo sic: "Non est," inquit, "iusticia, quod illa peccata replicentur anime ad obprobrium, que confessione emendata sunt." **5** Verumtamen ego, que ista vidi, bene et perfecte tunc noui, quod miles ille, qui loquebatur, omnia nouit in Deo sed, ut ego intelligerem, loquebatur. **6** Tunc de libro iusticie responsum est: "Quando penitencia facta fuit ab ista anima, non subsequebatur contricio digna talibus peccatis nec vera satisfaccio. Ideo dolere debet nunc pro hiis, que tunc, cum potuit, non emendauit."

7 Quibus dictis anima incepit plorare ita vehementer, quod quasi tota confringeretur, attamen lacrime videbantur et vox non audiebatur. Deinde rex loquebatur anime dicens: "Consciencia," inquit, "tua declareret modo peccata illa, que satisfaccio digna non sequebatur." **8** Tunc anima extulit vocem suam ita alte, quod quasi posset audiri per totum mundum, dicens: "Ve," inquit, "quia non feci iuxta mandata Dei, que audiui et cognoui!" Et accusans se ipsam addidit: "Ego non timui iudicium Dei." Cui responsum est de libro: "Ideo nunc timere debes Dyabolum." **9** Et statim anima timens et contremiscens, ac si tota solueretur, dixit: "Ego quasi nullam caritatem habui ad Deum: ideo modica bona feci." Responsum est statim ei de libro: "Ideo iusticia est te vicinus appropinquare Dyabolo quam Deo, quia ipse Dyabolus te ad se temptationibus suis allexit et illexit."

10 Et anima respondit: "Iam," inquit, "intelligo, quod omnia, quecumque feci, erant secundum dyabolicas infusiones." Responsum est de libro: "Iusticia dictat, quod iuris Dyaboli est retribuere tibi secundum ea, que egisti, cum pena et tribulacione." **11** Anima dixit: "Nichil fuit a vertice capitinis mei usque ad calcaneum, quod non cum superbia vestiui. Quedam enim vana et superba portamenta ego de nouo adinueni personaliter, quedam vero sequebar secundum patrie consuetudinem. **12** Laui quoque manus et faciem, non ut solum mundarentur sed ut ab homine pulchra laudarentur." **13** Responsum est de libro: "Iusticia dicit, quod iuris Dyaboli est retribuere tibi pro meritis, quia te ornasti et composuisti sicut ipse tibi inspirabat et dictabat."

14 Iterum dixit anima: "Os meum sepe aperiebatur ad scurrilia, quia aliis placere volui et animus meus omnia illa desiderabat, que pudor et obprobrium mundi non sequebatur." **15** Responsum est de libro: "Ideo lingua tua extrahi et extendi debet dentesque tui incuruari; et illa tibi apponentur, que omnino tibi displicant; omniaque illa tolli debent a te, que tibi placent."

16 Dixit anima: "Ego vehementer gaudebam ex eo, quod multi receperunt exempla et occasionem de hiis, que ego feci, et quod multi imitabantur mores meos." **17** Responsum est de libro: "Ideo est iusticia, quod omnis, qui deprehensus fuerit in tali peccato, pro quo tu punieris, eandem penam ipse pacietur et ipse ad te adducetur; et tunc propter aduentum cuiuslibet, qui imitabatur adinuencias tuas, pena tua augmentabitur."

18 Quibus dictis videbatur michi, quasi quod vinculum quoddam esset alligatum in capite anime ad modum corone et stringebatur ita fortiter, quod occiput et frons coniungebantur simul; **19** oculi vero deciderunt a sedibus suis dependentes per radices suas ad genas; crines quoque quasi ab igne combusti aruerunt; cerebrum autem rumpebatur defluens per nares et per aures; lingua extendebatur dentesque comprimebantur; **20** ossa vero in brachiis confringebantur et quasi funes contorquebantur; manus eciam

decoriate ad collum alligabantur; pectus vero et venter ita fortiter dorso coniungebantur, quod costis conftractis cor cum omnibus interioribus euersum crepuit; femora vero pendebant ad latera ossaque conftracta extrahebantur eo modo, quo filum tenuerunt solet in globum glomerari.

21 Hiis visis Ethiops respondit: ”O, iudex, peccata anime iam sunt plagata secundum iusticiam. Coniunge ergo iam nos ambos, me scilicet et animam, ita quod numquam separemur!” **22** Miles vero ille armatus respondit: ”Audi, iudex, tu qui scis omnia! Ad te iam pertinet audire ultimam cogitationem et affectionem, quam ista anima habebat circa finem vite sue. **23** Ipsa quippe in ultimo puncto taliter cogitauit: ’O, si Deus vellet michi dare spacium vite, vellem utique libenter emendare peccata mea omnique tempore vite mee seruire ei nec umquam amplius ipsum offendere.’ Talia, o, iudex, cogitabat et volebat. **24** Memento eciam, Domine, quod persona ista non tanto tempore vixit, quod obtineret plene intelligibilem conscientiam. Ideo, Domine, cogita iuuentutem eius et facito misericordiam!”

25 Tunc autem sic responsum est de libro iusticie: ”Talibus cogitationibus in fine non debetur infernus.” Et iudex ait tunc: ”Propter passionem,” inquit, ”meam aperiatur anime celum purgacione prius pro peccatis recepta tanto tempore, quanto tenetur pati, nisi obtinuerit auxilium ex bonis operibus aliorum viuencium.”

Declaracio.

26 Hec mulier voulit virginitatem in manu sacerdotis et postea nupsit; que in partu postea pericitata moriebatur.

Visio terribilis sponse de quadam homine et de quadam muliere et de exposicione mirabili visionis sponse

spiritualiter ab angelo facta, in qua multa mirabilia continentur. Capitulum LII.

1 Videbatur michi unus homo, cuius oculi eruti erant sed tamen dependebant ad maxillas cum duobus neruis. Hic habebat aures sicut canis, nares sicut equus, os sicut ferocissimus lupus, manus ad modum pedum maximi bouis, pedes sicut vultur. **2** Una quoque mulier videbatur michi iuxta eum stare, cuius crines erant sicut vepres, oculi erant in occipite, aures abscise, nares plene sanie et putredine, labia sicut dentes serpentis; in lingua erat aculeus venenosus, manus erant sicut due caude vulpine, pedes sicut duo scorpiones.

3 Dum hec ego viderem non dormiens sed vigilans, dixi: ”O, quid istud est?” Et statim quedam vox dulcisona loquebatur ad me, que tam consolatoria erat, quod omnis terror abscessit a me, dicens: ”Tu ista videns, quidnam existimas illa esse?” **4** Ego respondi: ”Ignoro, utrum isti quos video sint dyaboli aut bestie de tali bestiali natura progenite siue eciam homines a Deo sic formati.” **5** Vox tunc respondit michi: ”Non sunt dyaboli, quia ipsi non habent corpora, sicut istos habere vides, nec sunt de genere bestiali, quoniam de stirpe Adam geniti sunt, **6** nec eciam a Deo taliter sunt creati sed coram Deo apparent a Dyabolo in animabus suis taliter deformes facti et hoc tibi videntur quasi corporaliter. Ego tamem ostendam tibi, quid significant spiritualiter.

7 Illius hominis oculi videntur tibi eruti dependentes duobus neruis. Per duos enim neruos duo intelliges: primum est, quod Deum credit eternaliter viuere, secundum est, quod credit suam propriam animam post mortem corporis eternaliter siue in bono siue in malo victuram. **8** Per duos vero oculos eciam duo

intelliges: primum est, quod debuit considerare, qualiter peccatum euitare posset, secundo, quomodo valeret bona opera perficere. Isti duo oculi ideo eruti sunt, quia non fecit opera bona pro desiderio celestis glorie nec fugit peccata pro timore gehennalis pene. **9** Habet eciam caninas aures. Nam sicut canis neque nomen sui domini neque alterius tantum curat quantum suum nomen proprium, si hoc nominari audierit, ita eciam iste non tantum curat de honore nominis Dei quantum de honore nominis proprii.

10 Habet eciam equinas nares. Nam sicut equus, qui solitus est ejecto stercore suo, delectatur nares illi apponere, similiter iste. Nam perpetrato peccato, quod coram Deo vilissimum est stercus, de ipsius fetore dulce sibi videtur cogitare. **11** Habet eciam os sicut lupus ferocissimus, qui ventre ac ore suo repleto ex illis que viderat adhuc, si aliquid aure viuum audierit, deglutire illud desiderat. Ita et iste, si omnia possideret, que oculis viderat, adhuc concupiseret illa que alios possidere audiret.

12 Habet eciam manus ad modum pedum fortissimi bouis. Qui cum iratus fuerit, animal cui preualet cum pedibus suis disrumpit propter ire vehemenciam non curans de intestinis vel de carnibus eius, dummodo vitam illi abstulerit. Similiter iste. Nam quando est in ira, non curat, quod anima inimici sui in infernum descenderet nec qualiter corpus eius torqueretur morte, si vitam eius auferre posset. **13** Habet eciam pedes sicut vultur. Nam sicut vultur aliquid habens inter unguies, quod sumere eum delectat, pedem super illud tam fortiter stringit, quod viribus pedis deficientibus pre dolore ipse quasi nesciens dimittit cadere, quod tenebat. **14** Ita et iste. Nam illa, que iniuste habet, intendit tenere usque ad mortem, quando omnibus viribus deficientibus illud dimittere coartabitur.

15 Mulieris vero illius crines videbantur sicut vepres. In crinibus autem, qui sunt in summitate verticis, ornantibus faciem hominis significatur illa voluntas, que summe summo Deo placere desiderat. **16** Hec enim animam coram Deo adornat. Sed quia huius mulieris voluntas est summe huic mundo placere plus quam summo Deo, ideo sui capilli apparent sicut vepres. **17** Oculi vero eius apparent in occipite, quia mentales oculos auertit ab hiis, que bonitas Dei sibi fecerat in creando eam, in redimendo et in diuersis sibi utiliter prouidendo. Illa vero que transitoria sunt intente respicit, a quibus cotidie discedit, donec ab aspectu suo penitus euanescant. **18** Aures igitur abscise spiritualiter apparent. Nam minime curat doctrinam sancti Euangeli seu predicaciones audire.

19 Nares vero plene putredine sunt, quoniam sicut per nares suavis odor ad cerebrum delectabiliter trahitur, ut cerebrum inde fortificetur, sic ipsa per affecciones suas, quidquid putrescibili corpori delectat ad ipsius fortificacionem, trahit delectabiliter ad effectum. **20** Labia vero illius sicut dentes serpentis videbantur et in lingua aculeus venenosus. Nam dum serpens dentes fortissime constringit propter defensionem aculei, ne ab aliquo euentu frangatur, tamen squalor de ore eius effluit inter dentes, quia separatim sunt locati. **21** Similiter et ipsa claudit labia a confessione vera, ne frangatur delectacio peccati, que est anime sue aculeus venenosus, squalor tamen peccati euidenter appetit coram Deo et sanctis eius.”

Declaracio.

22 ”Dixi tibi prius de iudicio et abieccione unius matrimonii, quod contra statuta Ecclesie contraxerunt. Nunc indicabo tibi plenius de eis. Tu enim vidisti manus mulieris quasi caudas vulpium et pedes eius quasi scorpionum. **23** Hoc ideo est, quia sicut in omnibus membris et affeccionibus erat inordinata, sic et leuitate manuum suarum et incessu pedum dulcedinem carnis prouocando grauius scorpione animam viri pungebat.”

24 Et ecce in eodem momento apparuit Ethiops habens in manu tridentem et in pede quasi tres unguis acutissimas clamans et dicens: "O, iudex, iam hora mea est. Expectavi et silui; iam tempus est faciendi!" **25** Et statim sedente iudice cum exercitu innumerabili apparuit michi quasi vir unus et mulier nudi. Et dixit iudex ad eos: "Dicte," inquit, "quamuis omnia scio, quid fecistis!" **26** Respondit vir: "Audiuimus et sciuimus vinculum Ecclesie et non curauimus, ymmo despeximus." Respondit iudex: "Quia noluitis sequi Dominum, iusticia est, ut senciatis maliciam lictoris." **27** Et statim Ethiops infixit unguis in corda amborum et sic fortiter compressit eos, ut quasi in prelo positi viderentur. Et dixit iudex: "Ecce, filia, talia merentur, qui se scienter elongant a creatore suo propter creaturam."

28 Dixit iterum iudex ambobus: "Ego dedi vobis saccum, ut congregaretis fructum deliciarum mearum; quid ergo nunc apportatis?" Respondit mulier: "O, iudex, delicias ventris quesiuimus et non apportamus nisi confusionem." **29** Tunc dixit iudex lictori: "Redde quod iustum est!" Qui statim infixit unguis secundam in ventres amborum et sic fortiter vulnerauit, quod omnia intestina viderentur perforata. Et dixit iudex: "Ecce talia merentur, qui legem transgrediuntur et pro medicamento siciunt venenum."

30 Iterum dixit iudex ambobus: "Ubi est thesaurus meus, quem accommodauit vobis ad usuram?" Responderunt ambo: "Posuimus eum sub pedibus nostris, quia quesiuimus thesaurum terrenum non eternum." **31** Tunc dixit iudex lictori: "Da quod scis et debes!" Qui statim infixit unguis terciam in corda eorum et ventres et pedes ita, ut omnia quasi unus globus viderentur. Et dixit Ethiops: "Domine, quo vadam cum eis?" **32** Respondit iudex: "Tuum non est ascendere nec gaudere." Quo dicto a facie iudicis statim vir et mulier gementes disparuerunt. Iterum dixit iudex: "Gaude, filia, quia a talibus es segregata!"

Verba Virginis ad sponsam, qualiter parata est ad defendendum omnem viduam et omnem virginem et omnem coniugatam, quas videt iusto proposito stantes et suum filium super omnia diligentes. Capitulum

LIII.

1 "Audi tu," inquit Mater Dei, "que toto corde rogas Deum, ut filii tui placeant Deo. Vere talis oracio placita est Deo. Non enim est mater, que filium meum diligit super omnia et illud idem petit filiis suis, quin non statim parata sum iuuare eam ad effectum peticionis eius. **2** Nec eciam est aliqua vidua, que stabiliter rogit auxilium a Deo standi in viduitate ad honorem Dei usque ad mortem, quin non statim parata sum perficere voluntatem eius cum ea, quia ego fui quasi vidua, eo quod habui filium in terris, qui non habuit carnalem patrem. **3** Non est eciam aliqua virgo, que virginitatem suam desiderat seruare Deo usque ad mortem, quin non parata sum eam defendere et confortare, quia ego sum vere ipsa virgo.

4 Nec mirari debes: Cur dico ista? Scriptum est enim, quod Dauid desiderabat filiam Saulis, quando fuit virgo. Ipse eciam recepit eam, quando fuit vidua. Insuper et habuit uxorem Uriam, quando vir eius vixit. **5** Attamen concupiscencia Dauid non fuit sine peccato, sed delectacio illa spiritualis Filii mei, qui est dominus Dauid, est sine omni peccato.

6 Ideo, sicut iste tres vite scilicet virginitas, viduitas et coniugium placuerunt Dauid corporaliter, ita Filio meo placet eas habere in sua delectacione castissima spiritualiter. **7** Ideo non mirum, quod iuuando traho earum delectacionem spiritualem in delectacionem Filii mei, quia eius delectacio est ad ipsas."

*Verba Matris ad sponsam de felici natuitate spirituali cuiusdam in peccatis pessimis nutriti, quam
natuitatem precibus et lacrimis Dei seruorum obtinuit. Capitulum LIII.*

1 "Vide filium lacrimarum, qui nunc est recenter natus de mundo spiritualiter! Qui primus natus fuerat de matre sua in mundo carnaliter. **2** Sicut enim femina illa, que extrahit puerum de ventre matris, primo caput trahit, deinde manus, deinde totum corpus, usquequo cadit in terram, sic ego feci illi propter lacrimas et preces amicorum meorum. **3** Extraxi illum quippe de mundo in tantum, quod iam spiritualiter est sicut puer nouiter natus. Ideo educari debet et spiritualiter et corporaliter.

4 Nam ille, ad quem te miseram, educare eum debet precibus suis et bonis operibus et consiliis custodire. Illa vero femina, de qua tibi dictum est, rogabit pro eo et custodiet spiritualiter attendendo eciam, ut habeat necessaria sua corporaliter, quia ipsa ita profunde cecidit in peccata mortalia, quod omnes demones in inferno de eo dixerunt: **5** 'Aperiamus os, si forte venerit, ut premamus eum dentibus nostris et degluciamus. Extendamus eciam manus, ut disrumpendo laceremus eum. Habeamus quoque pedes promptos ad calcandum et calcitrandum eum.'

6 Ideo dictum est tibi, quod nunc spiritualiter natus fuit, quia iam de potestate demonum est liberatus, sicut bene colligere poteris de verbis illis que audisti, quod Deum corde et corpore diligit super omnia."

*Verba Matris ad filiam, qualiter precibus Dei seruorum vult diligere quendam puerum et ipsum armis
spiritualibus armare. Capitulum LV.*

1 "Recordare quod scribitur de Moyse, quod filia regis inuenit eum super aquas et dilexit eum pro filio suo. Scribitur quoque in scolasticis historiis, quod idem Moyses vicit terram per aues, que consumpserunt serpentes venenosos. **2** Ego sum filia regis de progenie Dauid, que volo puerum istum diligere, quem inueni in procellis lacrimarum, que effuse sunt propter salutem anime eius; que inclusa fuit in arca corporis eius, quem educabunt illi de quibus dixi, donec ad etatem venerit, in qua armare eum volo et mittere ad terram vincendam regi celi. **3** Sed quomodo hec fient, tibi ignotum est et michi notum. Nam ego taliter preparabo eum, quod de eo dicetur: 'Iste vixit sicut vir et mortuus est sicut gygas. Venit ad iudicium sicut bonus miles.'"

Addicio.

4 Filius Dei loquitur: "Ubi animal famelicum repellitur a preda, expectat a longe inueniendo tempus redeundi ad predam. Sin autem, vadit ad speluncam suam. Sic ego feceram principi terre huius. **5** Monui enim eum beneficiis meis, monui eum verbis et verberibus, sed tanto ingracior et obliuiosior est, quanto mansueciorem me ei ostendo. Ideo vocabo eum nunc sub coronam et ad scabellum pedum, quia noluit stare in corona. **6** Immittamque ei et assentatoribus eius aspidem immitem de viperra et subdola vulpe generatum, qui terram et habitatores eius conturbet et simplices deplumabit, qui cacumina terrarum ascendet et gloriantes deicet et conculcit. **7** Puerum vero istum, quem amici mei nutrierunt, ducam per viam aliam, donec venerit ad locum gloriosiorem."

8 Item loquitur Filius Dei: "Adhuc dicetur de puer isto, quod vixit sicut vir, pugnauit sicut miles egregius, coronabitur sicut amicus Dei. O, filia, quid credunt mulieres, que gloriantur ex eo, quod filii earum procedunt in superbia? Illa non est gloria sed confusio, quia regem superbie imitantur. **9** Sed illa est gloria et ille est miles glorie, qui gloriatur ex eo, quod facit honorem Deo, quantum potest, et conatur ad maiora paratusque est pati ea que Dominus vult eum pati. Talis est miles Dei et talis coronabitur cum militibus celi."

Verba Matris ad filiam de quodam, quod non debet contristari propter correpcionem. Capitulum LVI.

1 Mater loquitur: "Cur turbatur ille? Pater quippe percutit filium quandoque cum leibus straminibus. Ideo non est contristandum."

Verba Matris ad filiam, qualiter Roma debet mundari a zizania primo ferro acuto, secundo igne, tertio iugo boum. Capitulum LVII.

1 Mater loquitur: "Roma est quasi ager, super quem zizania excreuit. Ideo prius debet mundari cum acuto ferro, inde igne purgari, postea arari cum iugo boum. **2** Ideo faciam vobiscum sicut qui transfert plantas in alium locum. Illi enim urbi preparatur talis pena, quasi iudex diceret: 'Excoria,' inquit, 'totam pellem, extrahe totum sanguinem de carne, excide omnem carnem in frusta et confringe ossa ita, ut defluat omnis medulla.'"

Verba Christi ad sponsam sub figura, in exposicione cuius Christus per dominum peregrinantem, corpus suum per thesaurum, Ecclesia per domum, sacerdotes per custodes designantur. Quos sacerdotes tamquam verus dominus septemplici honore honorauit; et qualiter Deus conqueritur, quod ipsi iniqui sacerdotes septemplici vituperio ipsum vituperant; et qualiter septem vestes, scilicet septem virtutes, quas deberent habere, vertunt in septem viciis. Capitulum LVIII.

1 Filius loquitur: "Ego sum similis domino, qui fideliter decertans in terra peregrinacionis sue regrediebatur in terram natuitatis sue cum gaudio. Hic dominus habebat thesaurum preciosum valde, cuius intuitu clarificabantur lippientes oculi, tristes consolabantur, infirmi conualescabant, mortui suscitabantur. **2** Ut vero thesaurus honeste et tute custodiretur, facta et perfecta est domus quedam in magnificencia et gloria habens altitudinem decentem septemque gradus, quibus ad domum et thesaurum ascendebat. **3** Hunc itaque thesaurum dominus tradidit seruis suis videndum et tractandum fideliterque et munde custodiendum, ut et caritas domini probaretur ad seruos fidelitasque seruorum ad dominum videretur. Procedente vero tempore despici cepit thesaurus, raro frequentabatur domus tepueruntque custodes et caritas domini negligebatur. **4** Tunc domino consulente familiares suos, quid faciendum esset super tanta ingratitudine, respondit unus eorum dicens: 'Scriptum est, quod iudices et custodes populi negligentes iussi sunt suspensi

ad solem, sed tuum est misericordia et iudicium, qui parcis omnibus, quia tua sunt omnia et omnium miseris.'

5 Ego sum in figura dominus ille, qui quasi peregrinus per humanitatem apparui in terra, cum tamen in celo et in terra potens essem secundum deitatem. Ego quippe tam forte certamen habui in terris, quod omnes nerui manuum et pedum meorum rumpebantur propter animarum zelum et salutem. **6** Relicturus itaque mundum et ascensurus in celum, a quo tamen secundum deitatem numquam defui, reliqui mundo memoriale dignissimum, scilicet corpus meum sanctissimum, ut, cum lex vetus gloriabatur de archa, manna et tabulis testamenti ceremoniisque aliis, sic nouus homo gauderet de noua lege et non, ut olim, de umbra sed de veritate, scilicet corpore meo crucifixo, quod in lege figurabatur. **7** Ut autem corpus meum esset in gloria et honore, institui domum sancte Ecclesie, ubi seruaretur et tractaretur, sacerdotesque speciales custodes eius, qui quodam modo eciam officio sunt supra angelos; quia quem ipsi timent contingere timore reuerencie, hunc sacerdotes tractant manibus et ore.

8 Honoraui quoque sacerdotes septemplici honore tamquam in septem gradibus. Primo debent esse signiferi et speciales amici mei per mundiam mentis et corporis, quia mundia primus locus est ad Deum, quem nichil contingit nec decet coinquinatum. Nam si legalibus sacerdotibus permittebatur commixtio tempore, quo non sacrificabant, non mirum fuit, quia ipsi portabant testam non nucleus. **9** Nunc autem veniente veritate et fugata figura summe studendum est mundicie tanto copiosius, quanto dulcior est nucleus testa. Et in huiusmodi continencie signum capilli primo tonduntur, ne voluptas animo seu carni dominetur. **10** In secundo gradu instituuntur clerici, quod sint viri angelici per omnem humilitatem, quia humilitate mentis et corporis penetratur celum et vincitur Dyabolus superbis. Et in huiusmodi gradus signum constituuntur clerici ad expellendos demones, quia homo humili eleuatur in celum, unde per superbiam corruit demon elatus. **11** In tercio gradu instituuntur clerici ex eo, quod debent esse discipuli Dei per continuam diuine Scripture leccionem, quibus et ideo ab episcopis in manus traditur liber, sicut et mili gladius, ut et sciant, que agenda sunt, et oracione et meditacione placare studeant iram Dei pro populo Dei. **12** In quarto gradu instituuntur clerici custodes templi Dei et speculatoris animarum, quibus et ideo traduntur claves ab episcopo, ut solliciti sint circa salutem fratrum verbisque et exemplis promoueant et incitent infirmos ad perfecciora. **13** In quinto gradu instituuntur dispensatores et curatores altaris et mundialium rerum contemptores, ut, dum altari deseruiunt, de altari viuant et in terrenis nequaquam nisi in hiis, que decent gradum eorum, occupentur. **14** In sexto gradu instituuntur, qui sint viri apostolici predicando veritatem euangelicam moribusque se predicacioni conformando. In septimo gradu instituuntur, quod sint mediatores inter Deum et hominem per immolacionem corporis mei; in quo gradu sacerdotes quodam modo sunt supra angelos dignitate.

15 Nunc autem conqueror, quod gradus isti sunt dissipati, quia superbia diligitur pro humilitate, impuritas exercetur pro mundia, Dei leccio non attenditur sed liber mundi, negligencia apparet in altaribus, sapientia Dei reputatur fatuitas, salus animarum non curatur. **16** Nec sufficient eis ista, sed adhuc eciam vestes meas prociunt et contempnunt arma mea. Ego quippe ostendi in monte Moysi vestes, quibus sacerdotes legis uterentur. Non quod in celesti Dei habitacione aliquid materiale sit, sed quia spiritualia nisi per corporales similitudines non capiuntur. **17** Ideo spirituale per corporale ostendi, ut sciatur, quanta reuerencia et mundicia opus est hiis, qui habent ipsam veritatem, scilicet corpus meum, si tantam mundiam et reuerenciam habebant hiis, qui portabant umbram et figuram.

18 Sed ad quid Moysi ostendi tantam vestium materialium pulchritudinem, nisi ut per eas addisceretur et significaretur ornatus et pulchritudo anime? Sicut enim vestes sacerdotis sunt septem, sic anime accendentis

ad corpus Dei septem debent esse virtutes, sine quibus non est salus. **19** Prima ergo vestis anime est contricio et confessio, que tegit caput. Secunda est affectus ad Deum et affectus castitatis. Tercia est labor pro honore Dei et pacienza in aduersis. Quarta est non attendere ad laudes et obprobria hominum sed ad honorem solius Dei. **20** Quinta est abstinencia carnis cum vera humilitate. Sexta est recognitacio beneficiorum Dei et iudiciorum eius timor. Septima est caritas Dei super omnia et perseverancia in bonis inchoatis.

21 Nunc autem vestes iste immutate sunt et contempte. Diligitur quippe pro confessione excusacio et leuigacio culpe, pro castitate scurrilium continuacio, pro labore salutis anime labor utilitatis corporis, pro honore et amore Dei ambicio mundialium et superbia, **22** pro parcitate laudabili superfluitas in omnibus, pro timore Dei presumpcio et dijudicacio iudiciorum Dei, pro dilectione Dei super omnia ingratitudo cleri super omnes. Ideo, sicut dixi per prophetam, veniam in indignacione et tribulacio dabit eis intellectum."

23 Tunc Mater misericordie astans respondit: "Benedictus sis tu, Fili, pro iusticia tua. Loquor ad te, qui omnia scis, propter sponsam istam, quam tu vis intelligere spiritualia, que tamen nisi per similitudines capere non valet spiritualia. **24** Tu quippe dixisti in deitate tua, antequam suscepisses humanitatem de me, quod si decem viri iusti inuenirentur in ciuitate, misereri velles toti ciuitati propter decem. Nunc autem adhuc infiniti sunt sacerdotes, qui te oblacione corporis tui placant. **25** Ergo miserere propter eos hiis, qui parum boni habent. Hoc ego, que te secundum humanitatem genui, rogo; hoc omnes electi tui petunt mecum."

26 Respondit Filius: "Benedicta sis tu et benedictum verbum oris tui. Tu vides, quod tripliciter parco propter triplex bonum, quod oblacio corporis mei habet. **27** Sicut enim ex presumpcione Iude tria ostensa sunt bona in me, sic ex oblacione sacrificii huius tria veniunt animabus. Denique pacienza mea laudatur, quod sciens proditorem meum non repuli conuersacionem eius. **28** Secundo, quod astante proditore cum suis omnes ex unico verbo meo ceciderunt in terram, ubi potentia mea ostendebatur. Tercio, quia omnem maliciam eius et Dyaboli ad animarum conuerti salutem, ubi sapiencia et caritas diuina manifestabatur.

29 Sic eciam ex oblacione sacerdotum tria veniunt bona. Primo laudatur ab omni celesti exercitu pacienza mea, quia idem sum in manibus boni et mali sacerdotis, quia apud me non est personarum accepcio, nec merita hominum conficiunt hoc sacramentum sed verba mea. **30** Secundo, quia hec oblacio prodest omnibus, a quocumque sacerdote est oblatum. Tercio, quia prodest eciam ipsis offerentibus quantumcumque malis, quia sicut ex uno verbo quod dixi, scilicet 'Ego sum', corruerunt hostes mei corporaliter in terram, **31** sic dicto verbo meo, videlicet 'Hoc est corpus meum', fugiunt demones a temptando animas offerencium nec auderent redire ad eos cum tanta audacia, si affectus peccandi non sequeretur.

32 Itaque misericordia mea parcit in omnibus et omnes suffert, sed iusticia clamat vindictam, quia clamo cotidie et quam multi michi respondent, satis tu vides. **33** Verumptamen adhuc mittam verba oris mei, et qui audierint complebunt dies suos in leticia illa, que nec dici nec cogitari potest pre dulcedine. **34** Qui vero non audierint, venient eis sicut scriptum est septem plage in anima et septem in corpore, quas considerando et legendo ea, que gesta fuerunt, inuenient, ne experiendo contremiscant."

Verba Christi ad sponsam, qualiter sacerdos tenetur habere tria: primo corpus Christi consecrare, secundo mundiciam carnis et spiritus habere, tercio parrochie sue prouidere; eciam quod tenetur habere Librum et Oleum; et quomodo sacerdos angelus Domini est, ymmo quod eius officium est maius quam angeli. Capitulum LIX.

1 Filius loquitur: "Sacerdos tenetur habere tria, primo consecrare corpus Dei, secundo habere mundiciam carnis et spiritus, tercio prouidere parrochie sue. Sed potes querere: 'Quid prodest habere ecclesiam, si non habet parrochiam?' **2** Respondeo tibi: sacerdos habens voluntatem omnibus prodesse et predicare propter amorem Dei, ille habet tam latam parrochiam, quasi si haberet totum mundum, quia, si posset toti loqui mundo, minime parceret labori suo. Ideo voluntas bona reputatur ei pro opere. **3** Nam Deus propter ingratitudinem audiencium multociens parcit electis suis a labore predicandi, nec tamen fraudantur mercede propter affectum bonum.

4 Presbiter eciam tenetur habere librum et oleum: librum ad instruendum imperfectos, oleum sanctum ad infirmos liniendum. **5** Sicut enim in libro continetur doctrina spiritualis et corporalis, sic in sacerdote sit sciencia ad se ipsum moderando carnem, ne dissoluatur intemperancia, qua scandalizantur parrochiani, fugiendo cupiditatem mundi, qua vilipenditur decor Ecclesie, deuitando mores secularium, quibus dignitas clericalis dehonestatur. **6** Spiritualis vero sciencia est instruere insipientes, corripere dissolutos, accendere proficientes. **7** In oleo vero notatur dulcedo oracionis et exempla bona. Sicut enim oleum pinguius est pane, sic oracio caritatis et exempla bona vite efficaciora sunt ad trahendum homines et pinguiora ad placandum Deum.

8 Vere dico tibi, filia, quod magnum est sacerdotis nomen, quia angelus Domini est et mediator, sed maius est officium eius, quia tractat incomprehensibilem Deum, ymaque celestibus in manu eius coniunguntur."

Verba sponse ad Deum de grato modo effundendi preces coram Deo. Capitulum LX.

1 "Benedictus sis tu, creator et redemptor meus. Ne indigneris, si loquor ad te, sicut vulneratus ad medicum, sicut tribulatus ad consolatorem, sicut pauper ad diuitem et habundantem. **2** Vulneratus quippe dicit: 'O, medice, noli abhominari me saucium, quia frater es!' Tribulatus dicit: 'O, consolator optime, noli me despicere, quia anxius sum, sed da cordi meo requiem sensibusque meis consolacionem!' **3** Pauper vero dicit: 'O, tu diues et nullius egens, respice me, quia periclitior fame, vide me, quia nudus sum, et da michi vestes, quibus calefiam!'

4 Sic ego dico: O, Domine omnipotentissime et optime, ego considero vulnera peccatorum meorum, quibus ab infancia vulnerata sum, et ingemisco, quia tempus consumptum est inutiliter; vires non sufficiunt ad labores, quia exhauste sunt in vanitatibus. **5** Ideoque, quia tu es fons tocius bonitatis et misericordie, rogo te: miserere mei, tange cor meum manu dilectionis tue, quia medicus es optimus, consolare animam meam, quia consolator es bonus!"

Qualiter Dyabolus apparuit sponse in eleuacione corporis Christi loquens et per raciones probans ei, quod illud, quod eleuabatur, non esset corpus Christi. Cui angelus Domini statim apparuit confortans eam et dicens: "Noli credere" et cetera; et qualiter Christus apparens cogit Dyabolum, ut diceret veritatem coram filia et cetera; et qualiter corpus Christi sumitur sic a malis sicut a bonis et de remedio oportuno in temptationibus de corpore Christi. Capitulum LXI.

1 Apparuit sponse in eleuacione corporis Christi quidam tetterimus et ait: "Numquid credis tu, fatua, quod hec tortella panis Deus est? Diu denique consumptus esset, eciam si mons moncium fuisset. **2** Nullus quippe sapientum Iudeorum, quibus a Deo data est sapiencia, hoc credit, sed nec aliquis credat, quod Deus ab immundissimo sacerdote, qui cor habet caninum, tangi dignatur et amari. Et ut probes quod dico, iste sacerdos meus est, quem cum voluero – et iam in puncto est – auferam ad me ipsum."

3 Tunc statim bonus angelus apparens dixit: "O, filia, non respondeas stulto iuxta stulticiam suam! Ipse enim, qui apparuit tibi, pater est mendacii. Sed esto parata, quia sponsus noster iam est prope." **4** Qui Sponsus Iesus veniens ait ad Dyabolum: "Cur," inquit, "conturbas filiam meam et sponsam? Ideo dico filiam, quia creuai eam, ideo sponsam, quia redemi eam et caritate mea copulaui eam michi." Respondit demon: "Ideo loquor, quia permissus sum et ut ipsa refrigereseret in seruicio tuo."

5 Et Dominus: "Hoc," inquit, "nocte ista experta est, quando et oculos et reliqua membra compressisti, et maiora fecisses, si fuisses admissus, sed quociens ipsa resistit immissionibus tuis, tociens ei duplicabitur corona. **6** Verumptamen tu, Dyabole, quia dixisti me diu fuisse comedestum, eciam si fuisse mons, dicio michi audiente filia mea, que corporalis est: Scriptura dicit, quod periente populo erigebatur serpens eneus, quo viso omnis percussus a serpentibus sanabatur; **7** utrum ista virtus sanatiua erat ex eris fortitudine aut specie serpentis aut de Moysi bonitate seu virtute occulta diuina?" **8** Respondit demon: "Hec virtus sanacionis a nullo erat nisi propria et sola virtute Dei et fide populi credentis et obedientis, qui sic firmiter credit Deo, quod Deus, qui de nichilo fecit omnia, eciam omnia posset facere, que non erant prius."

9 Iterum dixit Deus: "Dicito, demon, quando virga facta est serpens, utrum factum est precipiente Moyse an iubente Deo? Aut quia Moyses sanctus fuit an quia verbum Dei sic dixit?" **10** Cui demon: "Quid," inquit, "erat Moyses nisi homo infirmus ex se sed iustus ex Deo? Ad cuius verbum, quod iussit et protulit Deus, facta est virga serpens Deo veraciter iubente et Moyse tamquam ministro obsequente. **11** Nam ante preceptum et verbum Dei virga erat virga; precipiente vero Deo veraciter virga facta est serpens, ita ut et Moyses formidaret."

12 Tunc Dominus ait ad sponsam ista videntem: "Sic est eciam nunc in altari. Ante enim verba sacramenti panis positus in altari panis est; dicto vero verbo 'Hoc est corpus meum' **13** panis fit corpus Christi, quem sumunt et tractant ita boni sicut mali, ita unus sicut mille, eadem veritate sed non eodem effectu, quia bonus ad vitam, malus vero ad iudicium sui. **14** Quod vero demon dixit Deum fedari ex immundicia offerentis, hoc verissime falsum est. Sicut enim si seruus leprosus ministrat domino claves aut si infirmus offerret fortissimarum herbarum confecciones, nichil hoc obesset ei, cui ministraretur, cum eadem virtus est in eis per qualemcumque offerentur. **15** Sic Deus nec ex malicia ministri mali fit malus nec ex bono fit melior, quia semper immutabilis est et semper idem. Quod vero dixit demon eum cicius moriturum, hoc nouit ex nature sue subtilitate et ex causis exterioribus, attamen auferre eum non poterit nisi me permittente.

16 Verumtamen iste sacerdos suus est proprius, nisi se correxerit, et hoc propter tria. Ideo idem demon dixit eum habere membra fetencia et cor caninum, qui vere fetidus est et febricitans, **17** quia habet calorem exteriorem sed interiorem frigiditatem, sitim intolerabilem, languorem membrorum, panis fastidium et omnis suavitatis abhominacionem. Calescit enim ad mundum, frigescens est ad Deum, sitit voluptatem carnis fastidiens virtutum pulchritudinem, insipidus est ad mandata Dei feraens ad omnia, que sunt carnis. **18** Ideo non mirum, quia non sapit sibi corpus meum nisi sicut panis coctus in cibano, quia non cogitat; nec sapit ei spirituale opus sed carnale. **19** Ideo dicto Agnus Dei et sumpto corpore meo in corpus suum discedit ab eo Patris potencia, abscedit et Filii dulcissima presencia, depositis vero sacris vestibus recedit Spiritus sancti benignitas, qui est vinculum coniunctionis; sola autem forma et recordacio panis remanet ei. **20** Non tamen cogitare debes, quod ipse vel alias quantumcumque malus sine Deo sit, sed recedit Deus maiorem consolacionem non infundendo; permanet vero tolerando eum et a Dyabolo defendendo.

21 Quod vero Dyabolus dixit nullum sapientum Iudeorum hoc velle credere respondeo: Ipsi Iudei sunt ita dispositi, sicut qui dexteros oculos amiserunt. Ideo claudicant utroque pede spirituali, propter quod et insipientes sunt et erunt usque in finem. **22** Ergo non mirum, quod Dyabolus excecat et indurat corda eorum et suadet eis impudica et ea, que sunt contra fidem. Itaque quocienscumque aliqua cogitacio talis de corpore Christi occurrerit menti tue, refer ad spirituales amicos tuos et sta stabilis in fide, quia absque dubio scias, quod hoc corpus, quod de virginea carne sumpsi, quod crucifixum est et regnat in celo, hoc idem est in altari et hoc sumunt boni et mali.

23 Nam sicut ostendi me discipulis euntibus in Emaus in aliena forma, cum tamen essem verus Deus et verus homo ingrediens ad discipulos ianuis clausis, sic sub aliena forma ostendo me sacerdotibus, ut fides habeat meritum et hominum appareat ingratitudo. **24** Nec mirum: ego enim idem nunc sum, qui ostendi deitatis mee potentiam per signa et terribilia, et adhuc dixerunt tunc homines: 'Faciamus deos, qui nos precedant.' Ego eciam ostendi Iudeis veram humanitatem meam et crucifixerunt illam. **25** Ego idem cotidie in altari sum, et dicitur: 'Nausea et temptacio est nobis sub cibo isto.' Que ergo maior ingratitudo esse potest quam velle ratione comprehendere Deum eiusque occulta iudicia et mysteria, que in manu sua propria possidet, audere iudicare?

26 Ideo indoctis et humilibus ostendere volo inuisibili effectu et visibili forma, quid sit visibilis forma panis sine pane et sine substancia; quid vero substancia in sua forma; quid vero diuisio in forma sine substancia; aut cur tanta indigna et tanta deformia perfero in corpore meo, ut et humiles exaltentur superbique confundantur."

Verba increpacionis Domini ad quendam sacerdotem sepelientem quendam, qui in paciencia mortuus est, presente sponsa; et qualiter cum septem plagis spiritualibus et septem corporalibus Christus veniet ad iniquos sacerdotes; et qualiter illa anima propter pacienciam et cetera obtinuit gloriam. Capitulum LXII.

1 Cum quidam sacerdos sepeliret quendam mortuum, qui tribus annis cum dimidio iacuit in lecto, tunc audiuit sponsa, qualiter dixit Spiritus: "Amice, quid facis? Cur presumis tangere mortuum, cum manus tue sanguinolente sunt? Cur clamas pro eo ad Omnipotentem, cum vox tua est quasi ranarum? **2** Cur presumis placare pro eo Iudicem, cum gestus tui et mores similiores sunt ioculatori quam deuoto sacerdoti? Propterea virtus verborum meorum et non opus tuum proficiet mortuo, fidesque sua et pacienza longa introducent ipsum ad coronam."

3 Item dixit Spiritus sponse: "Manus istius sunt sanguinolente, quia omnia opera eius sunt carnalia, quibus tangere non valet mortuum, quia iuuare eum non poterit meritis suis sed dignitate sacramenti. Nam boni sacerdotes dupliciter prosunt animabus, scilicet virtute corporis dominici et propria, qua ardent, caritate. **4** Vox quoque eius est quasi ranarum, quia tota est de lutosis operibus, tota ad voluptatem carnis. Ideo non ascendit ad Deum, qui placari desiderat voce humilis confessionis et contritionis. **5** Mores eciam sui sunt quasi ioculatorum. Quid enim facit ioculator, nisi quod conformat se moribus mundialium? Quid vero cantat nisi 'Comedamus et bibamus fruamurque in hac vita deliciis'? **6** Sic facit iste: Conformat enim se veste et actu cum omnibus, ut omnibus placeat omnesque exemplo suo et excessu ad superflua incitat dicendo: 'Comedamus et bibamus, quia gaudium Domini est fortitudo nostra; sufficiat nobis venire ad portam glorie; et si prohibeat ab ingressu, sufficiat michi residere iuxta portam. Nolo esse perfectus.'

7 Hec vox et vita grauis est, quia nemo veniet ad portam glorie nisi perfectus aut perfecte purgatus. Et nemo apprehendet gloriam nisi perfecte desiderando eam aut perfecte, cum poterit, pro ea laborando. **8** Attamen ego, Dominus omnium, ingredior ad sacerdotem istum sed non includor et commaculor. Ingredior ut sponsus, egredior ut iudex iudicaturus, contemptus a sumente. **9** Propterea, sicut dixi, veniam sacerdotibus cum septem plagis. Priuabuntur enim omnibus, que dilexerunt, eiicientur a conspectu Dei et iudicabuntur in ira eius, tradentur demonibus, pacientur absque requie, contempnentur ab omnibus, egebunt bonis omnibus malisque omnibus habundabunt.

10 Similiter eciam aliis septem corporalibus malis sicut Israel flagellabuntur. Ideo non debes mirari, si malos tolero, aut si aliqua indigna ostenduntur in sacramento meo, quia ad ostendendam pacienciam meam et ingratitudinem hominum suffero usque in finem. **11** Nec cogitare debes, quod talis indignitas, sicut audisti de vomitu, fit in corpore meo, sed species ille sensuales ostendunt quod suum est, scilicet defiendo; et tamen transperanter manifestant hominum ingratitudines et produnt homines ad tam sanctam sumpcionem reos et indignos."

12 Item dixit Spiritus ad animam mortui: "O, anima, gaude et exulta, quia fides tua separauit te a Dyabolo, simplicitas tua abbreviabit tibi viam longam purgatorii, pacienza tua duxit te ad portam glorie, misericordia mea introducit te et coronabit te."

Qualiter Dyabolus apparuit sponse volens ipsam per raciones apparentes decipere in sacramento corporis Christi; et qualiter Christus in adiutorium affuit sponse Dyabolum cogendo ad veritatem coram sponsa dicendam; et de confirmatione et informacione utilissima Christi ad sponsam de suo glorioso corpore in sacramento. Capitulum LXIII.

1 Item apparuit sponse quidam demon longo ventre et ait: "Quid credis tu, mulier, et quid magna cogitas? Ego eciam multa scio et aperta ratione probare valeo dicta mea, sed consulere tibi, dimitte cogitare incredibilia et crede sensibus tuis. **2** Nonne tu vides oculis et auribus carnis tuis audis sonum fraccionis hostie materialis panis? Vidisti eum euomi, tangi, in honeste deici in terram pluraque indigna fieri, que ego in me non tolerarem. Et si Deum in ore iusti possibile esset esse, quomodo descendit ad iniustos, quorum auaricia est sine fundo et sine modo?"

3 Respondit illa ad humanitatem Christi, que statim apparuit post temptationes, dicens: "O, domine Iesu Christe, regracior tibi pro omnibus et specialiter pro tribus. Primo, quia vestis animam meam inspirando scilicet penitenciam et contritionem, qua omne diluitur peccatum quantumcumque graue. **4** Secundo cibas animam infundendo caritatem tuam et memoriam passionis tue, qua anima quasi cibo optimo delectatur. Tercio consolaris omnes te inuocantes in tribulacione. **5** Ergo, Domine, miserere mei et adiuua fidem meam; quamuis enim digna sim tradi illusionibus Dyaboli, credo tamen, quod sine permissione tua ipse nichil potest, nec permissio tua est sine consolacione."

6 Tunc ait Christus ad Dyabolum: "Cur," inquit, "loqueris sponse mee noue?" Cui Dyabulus respondit: "Quia," inquit, "colligata erat michi, et spero adhuc eam irrecendam rete meo. Tunc autem colligata erat michi, quando consciendo michi plus placuit et placere studuit consiliis meis quam tibi, creatori suo. Nam custodii viae eius, et nondum exciderunt a memoria mea." **7** Respondit Dominus: "Ergo negotiator es tu et viarum omnium explorator?" Cui Dyabulus: "Vere explorator sum sed in tenebris, quia tenebrosum me fecisti." Et Dominus: "Quando," inquit, "vidisti, et quomodo tenebrosus factus es?"

8 "Vidi," inquit demon, "quando me creasti pulcherrimum, sed quia incaute irrui in splendorem tuum, tamquam basiliscus exececatus sum a splendore. Vidi te, cum desiderabam pulchritudinem tuam, vidi te in conscientia mea et noui, quando deiecisti me. **9** Noui eciam te in carne assumpta et feci quod permisisti me, noui, quando resurgendo spoliasti a me captiuos meos, nosco cotidie potentiam tuam, qua me illudis et confundis."

10 Et Dominus: "Si," inquit, "nosti et scis de me veritatem, cur mentiris electis meis, ubi scis veritatem de me? Nonne ego dixi, quod qui manducat meam carnem viuit in eternum? Et tu dicis, quod mendacium est et quod nemo manducat meam carnem. **11** Ergo populus meus plus ydolatra est quam qui colit lapides et ligna. Verumtamen, quia omnia scio, responde michi audiente ista, que hic astans spiritualia nisi per similitudinem intelligere non valet. **12** Thomas qui tetigit me post resurrectionem, utrum erat corpus, quod tangebat, spirituale an corporale? Et si erat corporale, quomodo intrabat ianuis clausis? Si vero spirituale, quomodo visibile fuit oculis corporeis?"

13 Respondit Dyabulus: "Graue est ibi loqui, ubi loquens omnibus est suspectus et inuitus cogitur loqui veritatem. Verumtamen compulsus loquor, quod resurgendo et corporalis et spiritualis eras, et ideo propter eternam deitatis virtutem et propter specialem carnis glorificate prerogatiuam ubique ingrederis et ubique esse potes." **14** Dixit iterum Dominus: "Virga Moysi, cum conuertebatur in serpentem, dic utrum similitudo fuit serpentis an totum intus et extra serpens? Aut sporte ille panum seu fragmenta panum, dic utrum verus panis fuit totus an similitudo panum?" **15** Respondit Dyabulus: "Totum erat in virga serpens, totum in sportis panis et totum virtute tua, totum pacienza tua factum est."

16 Et Dominus: "Numquid," inquit, "difficilius est michi nunc operari quam tunc miraculum consimile aut mirabilius, si placet michi? Aut ex quo tunc caro glorificata potuit ianuis clausis intrare ad apostolos, et quare nunc in manibus sacerdotis esse non valet? **17** An forsan labor aliquis est deitati mee yma sociare celestibus terrenaque summis? Nequaquam. Sed vere, pater mendacii, sicut malicia tua maxima est, sic caritas mea est et erit super omnes. **18** Nam eciam si sacramentum illud unus videretur comburere, alter terere sub pedibus, ego solus scio fidem omnium et in mensura et pacienza dispono omnia, qui de nichilo facio aliquid et de visibili inuisibile, qui et in signo et forma aliquid visibile ostendo, quod tamen in signato aliud veraciter est aliudque videtur."

19 Respondit Dyabolus: "Huius rei veritatem ego cotidie experior, quando homines amici mei elongant se a me et fiunt amici tui. Sed quid dicam amplius? Seruus dimissus sibi ipsi satis ostendit voluntate, quid faceret actu, si permitteretur." **20** Tunc iterum loquitur Filius Dei: "Crede, filia, quod ego sum Christus, reparator vite et non proditor, verax et ipsa veritas et non mendax potestasque eterna, sine qua nichil fuit neque erit. **21** Nam si habueris fidem, quod ego sum in manibus sacerdotis, eciam si sacerdos dubitaret, tamen propter fidem credencium et astancium et propter verbum, quod ego ipse personaliter institui et dixi, ego veraciter sum in manibus eius. Et omnis, qui sumit me, sumit deitatem et humanitatem et formam panis.

22 Quid enim est Deus nisi vita et dulcedo, lux illuminans, bonitas delectans, iusticia iudicans, misericordia saluans? Quid vero est humanitas mea nisi caro agilissima, coniunctio Dei et hominis, caput omnium Christianorum? **23** Ergo omnis, qui credit in Deum et accipit corpus eius, ipse sumit deitatem, quia sumit vitam, sumit et humanitatem, qua Deus et homo coniunguntur, sumit et formam panis, quia sub alia forma sumitur ipse, qui latet sub forma sua propter fidei argumentum. **24** Similiter et malus suscipit eandem deitatem sed iudicantem non demulcentem, sumit et humanitatem sed minus placabilem sibi, sumit et formam panis, quia sub forma visa recipit latentem veritatem sed non dulcescentem sibi suauitatem.

25 Nam quando applicauerit me ad os suum et dentes, completo sacramento ego recedo cum deitate et humanitate, sola forma panis remanet sibi. Non quia non veraciter ibi sum ita cum malis sicut cum bonis propter sacramenti institutionem, sed quia similem effectum non habent boni et mali. **26** Denique in sacrificio ipso offertur homini vita ipsa, Deus, et ingreditur vita sed non permanet cum malis, quia malum non relinquunt, et ideo remanet sensibus eorum sola forma panis. **27** Non tamen quod forma illa panis, que est sub substancia panis, aliquid sit eis effectuum, sed quia de sumpcione illa nichil recogitant, nisi quasi si viderent et sentirent formam panis atque vini, tamquam si dominus potens ingrederetur domum alicuius, et species eius quidem reminisceretur sed presencia bonitatis eius negligeretur."

Verba Matris ad filiam, qualiter Filius suus assimilatur pauperi rustico et cetera; et qualiter tribulaciones et persecuciones bonis ac malis illate sunt: bonis ad purgacionem et coronam in paciencia tamen.

Capitulum LXIII.

1 Mater loquitur: "Filius meus est quasi pauper rusticus, qui non habens bouem nec asinum personaliter ligna portabat de silua et alia instrumenta ad opera sua necessaria perficienda; qui inter alia instrumenta eciam virgulas apportabat, que ad duo sunt necessarie, scilicet ad flagellandum filium inobedientem et ad frigidos calefaciendum. **2** Sic Filius meus, omnium dominus et creator, factus est pauperrimus, ut eternis non transitoriis diuiciis omnes ditaret; qui in dorso suo grauissimum pondus scilicet amaram crucem portans omnium peccata sanguine suo purgavit et deleuit; **3** qui eciam inter cetera opera sua elegit instrumenta virtutum, id est viros virtutum, per quos operante Spiritu Dei multorum corda ad caritatem Dei sunt inflammata viaque veritatis manifestata.

4 Elegit quoque virgulas, quales sunt amatores mundi, per quos filii et amici Dei flagellantur ad eorum erudicionem et purgacionem et maiorem cautelam et remuneracionem. Virgule eciam calefaciunt filios et frigidos et Deus eciam incalescebit ex eorum igne. **5** Sed quomodo? Utique quando mundani tribulant amicos Dei et illos qui solo timore pene diligunt Deum; qui tribulati feruencius conuertunt se ad Deum considerata vanitate mundi; quorum tribulacioni compaciens Deus immitit eis consolacionem et caritatem.

6 Sed quid fiet de virgulis filiis flagellatis? Utique procientur in ignem comburende. Non enim despicit Deus populum suum, quando eum manibus impiorum tradit, sed sicut pater erudit filium, sic Deus malicia impiorum utitur ad suorum coronacionem.”

Verba ammonicionis Matris ad filiam et per exemplum probancia, qualiter amici Dei nec attediari nec cessare debent a labore predicationis; et de magna talium remuneracione. Capitulum LXV.

1 Mater loquitur: ”Tu debes esse sicut vas vacuum, aptum ad implendum, quod non sit sic latum, ut defluant imposita, nec sit ita profundum, ut careat fundo. Vas autem istud corpus tuum est, quod tunc vacuum est, cum ab appetitu voluptatis extraneum est. **2** Tunc autem moderate est latum, quando caro discrete affligitur, ut anima habilis sit ad intelligenda spiritualia et corpus robustum ad laborandum. Tunc vero vas est sine fundo, quando caro nulla coartatur abstinencia, sed quidquid animus appetit, hoc corpori non negatur.

3 Sed audi que loquor: Seruus meus protulit verbum impennatum dicens: ’Quid ad me loqui de hiis que non tangunt statum meum?’ Verbum tale non decet seruum Dei. Nam omnis qui audit et scit veritatem, si tacuerit eam, reus est, nisi omnino contempnatur. **4** Nam dominus quidam erat habens castrum forte, in quo erant quatuor bona, scilicet cibus imputridus pellens omnem famem, aqua salutaris extinguens omnem sitim, odor odoriferus depellens omnia venenosa, arma necessaria debilitancia omnem inimicum. **5** Tandem domino intendeante aliis obsessum est castrum. Quod intelligens dominus ait preconi famulo suo: ’Vade,’ inquit, ’et clama alta voce militibus meis sic: Ego dominus liberabo castrum meum; quicumque me sequitur bona voluntate erit mecum in gloria et honore consimilis. **6** Qui vero in pugna ceciderit, suscitabo eum ad vitam que non habet defectum nec anxietatem, daboque ei honorem permanentem et abundanciam indeficientem.’ **7** Seruus itaque accepto mandato clamauit sed minus sollicitus fuit in clamando in tantum, quod clamor ad strenuissimum militem non peruenit, et ideo miles destitit a labore. **8** Quid ergo facturus est dominus militi, qui libenter voluit laborare sed non audiuist vocem preconis? Utique remunerabitur pro voluntate, sed preco tepidis non immunis erit a correpcione.

9 Itaque castrum istud est Ecclesia sancta fundata sanguine Filii mei, in qua est corpus suum, quod depellit omnem famem, aqua sapientie euangelice, odor exemplorum sanctorum eius et arma passionis eius. **10** Hoc castrum nunc obsessum est ab hostibus, quia in Ecclesia sancta multi reperiuntur, qui voce predicanter Filium meum sed moribus non concordant; ymmo et si voce dicunt, voluntate contradicunt non curantes de celesti patria, si voluptatem suam possent adipisci. **11** Ergo ut minuantur hostes Dei, attediari non debent amici Dei, quia remuneracio non erit temporalis sed illa que nescit finem.”

Verba Matris ad filiam, qualiter bona temporalia discrete possessa non nocent, nisi affectus possidendi fuerit inordinatus. Capitulum LXVI.

1 Mater loquitur: ”Quid nocet, si quis acu vel ferro pungitur in pallio, dummodo non leditur caro? Sic nec temporalia bona discrete possessa nocent, nisi affectus possidendi fuerit inordinatus. Ideo obserua cor tuum, ut intencio bona sit, quia per te verba Dei diffundi debent in alios.

2 Nam sicut retentaculum aque molendarie retinet aquam et iterum discurrere facit, quociens expedit, sic tu influentibus cogitationibus variis et temptationibus sollicite obseruare debes, ut que vana sunt et secularia dimittantur, **3** que vero diuina sunt continue rememorentur, sicut scriptum est, quod aque inferiores defluebant, superiores vero stabant quasi murus.

4 Aque inferiores sunt cogitationes carnis et cupiditates inutiles, que defluere debent et non attendi. Superiores vero aque sunt infusiones Dei et verba sanctorum, que stabiles sint in corde sicut murus, ut nullis temptationibus a corde diuellantur.”

Verba Christi ad sponsam sui ipsius magnificenciam ostendencia; et qualiter omnia secundum eius ordinacionem perseverant preterquam misera anima peccatoris; et de omnibus inducuntur in exemplum; et qualiter voluntas in agendis est custodienda. Capitulum LXVII.

1 Filius loquitur ad sponsam: ”Ego sum cum Patre et Spiritu sancto unus Deus. In deitatis mee prouidencia omnia ab inicio et ante secula preuisa et stabilita sunt et omnia, tam corporalia quam spiritualia, certam disposicionem et ordinacionem habent, omniaque stant et currunt secundum quod in presciencia mea est ordinatum et prescritum, sicut per exemplum intelligere poteris ex tribus. **2** Primo ex hiis que vitam habent: sicut illud est, quod femina parit et non homo; secundo patet ex arboribus, quia dulcia portant dulcem fructum et amara suum fructum; tertio patet ex syderibus: nam sol et luna et omnia celestia cursum suum peragunt secundum quod in deitate mea est prefinitum. **3** Sic et anime rationales prescrite sunt in deitate mea, quales future erunt precognite; quibus tamen presciencia mea in nullo obfuit nec obest, quia dedi eis liberam voluntatis sue mocionem, id est liberum arbitrium et potestatem eligendi, quidquid eas delectat.

4 Ergo sicut femina parit et non homo, sic anima bona, uxor Dei, parere debet auxilio Dei, quia anima ad hoc creata est, ut virtutibus proficiat et semine virtutum fecunda crescat, ut veniat inter brachia diuine caritatis. **5** Anima autem que degenerat ab ortu suo et creatore suo nec ei fructificat facit contra disposicionem Dei, et ideo indigna est dulcedine Dei.

6 Secundo apparet immutabilis disposicio Dei in arboribus, quia dulces arbores portant dulcia et econtra que amara sunt. Sicut in dactilo duo sunt, dulcedo scilicet et lapis durus, sic ab eterno preuisum est, quod ubi Spiritus sanctus habitator est, ibi omnis mundana delectacio vilescit; **7** ibi omnis mundanus honor est onerosus, tantaque in illo corde est fortitudo Spiritus Dei et duricia, quod nulla frangitur impaciencia, nulla deicitur aduersitate, nulla prosperitate super se eleuatur. **8** Sic eciam ab eterno preuisum est, quod ubi est spina Dyaboli, ibi est fructus ab extra rubeus sed intus plenus immundiciis et aculeis. **9** Sic in delectacione Dyaboli momentanea et apparens est dulcedo sed plena sentibus et tribulacionibus, quia quo plus quis implicatur mundo, tanto grauiori onere computacionis oneratur. **10** Itaque sicut omnis arbor talem profert fructum, qualis est radix et truncus, sic omnis homo ex intencione operis sui iudicatur.

11 Tercio omnia elementa stant in ordine suo et motu, sicut ab eterno preuisum est, et mouentur secundum factoris voluntatem. Sic omnis rationalis creatura moueri et parata debet esse secundum creatoris institutionem. **12** Cum autem facit contrarium, perspicuum est, quod arbitrio libero abutitur. Et ubi irrationabilia custodiunt metas suas, ibi rationalis homo degenerat et aggrauat iudicium suum, quia non utitur racione.

13 Itaque custodienda est voluntas hominis, quia non maiorem iniuriam facio Dyabolo quam angelis meis. Quia sicut Deus exigit a sponsa sua castam dulcedinem illam indicibilem, sic Dyabolus querit a sponsa sua spinas et aculeos. Nec in aliquo preualere poterit Dyabolus, nisi voluntas fuerit viciata.”

Verba Matris ad filiam de vulpe et qualiter Dyabolus vulpi assimilatur; et eciam qualiter Dyabolus subdolus tamquam vulpis vario et multiplici modo temptationum decipit homines et conatur decipere quam maxime quos videt in bonis proficere. Capitulum LXVIII.

1 Mater loquitur: ”Est quoddam animal paruum, quod dicitur vulpis, sollicitum in procurandis omnibus necessitatibus suis et subdolum. Quod fingit se quandoque dormire et quasi mortuum, ut aues sedentes super se eo liberius capiat et deuoret, quo incauciores sunt in sedendo. **2** Considerat quoque volatum auium et quas pre lassitudine videt in terra quiescere vel sub arbore, illas rapit et deuorat. Sed que duabus alis euolant, ille confundunt eum et frustrant in laborando.

3 Vulpis iste Dyabolus est, qui amicos Dei semper insequitur et maxime eos, qui felle malicie et veneno nequicie eius carent. Qui fingit se quasi dormire et mortuum, quia quandoque dimittit hominem liberum a temptationibus grauioribus, ut incautum in minimis eo liberius decipiatur et inuoluatur. **4** Quandoque eciam vicium facit videri virtutem et econtra virtutem vicium, ut homo inuolutus incedat in vacuum et, nisi discrecione subueniente, pereat, sicut per exemplum intelligere poteris.

5 Nam misericordia quandoque vicium est, quando scilicet fit ad placendum hominibus. Iusticie vigor est iniusticia, quando scilicet exercetur propter cupiditatem et propter impacienciam. Humilitas vero superbia est, quando scilicet fit propter ostentacionem et ut videatur ab hominibus. **6** Paciencia virtus ostenditur et non est, quando se vindicaret, si posset, de iniuria sed tamen tolerat, quia aptum tempus non inuenit ad vindicandum. **7** Quandoque eciam Dyabolus submittit tribulaciones et temptationes, ut homo nimia resoluatur tristitia; quandoque eciam Dyabolus immittit anxietates et sollicitudines in cor, ut homo tepescat in seruicio Dei, aut, dum homo incautus est in minimis, ruat in maiora.

8 Sic iste, de quo loquor, supplantatus est a vulpe. Cum enim in senectute haberet omnia ad votum et iam diceret se esse felicem optaretque viuere, raptus est absque sacramentis et raciociniis operum et rerum suarum. **9** Quia quasi formica congregabat nocte et die sed non in horreum domini, et cum peruenisset ad foramen tumuli, ubi introduceret grana, mortuus est relinquens aliis labores suos; quia qui non congregat tempore messis fructuose, de semine non gaudet.

10 Ideo felices sunt aues Domini, que non dormitant sub arboribus deliciarum mundi sed in arboribus desideriorum celestium; quas si apprehenderit temptacio vulpis iniqui Dyaboli, cicias duabus alis scilicet humilitate confessionis et spe celestis auxilii euolabunt.”

Declaracio.

11 Christus, Filius Dei, loquitur: ”Iste prepositus est materia episcopalis. Ideo qui arborem fructus dulcis ascendere voluerit capiendo fructus dulces debet esse expeditus ab onere, precinctus et robustus ad colligendum et vas habere mundum, in quo fructus deponantur. **12** Sic iste studeat amodo decorare corpus suum virtutibus dando ei necessaria non superflua, fugiendo occasionem incontinencie et cupiditatis,

ostendendo se speculum mundum et exemplum hominibus imperfectis. Alioquin veniet ei casus horribilis, finis subitus et plaga manus mee.”

13 Hec omnia ita euenerunt.

Verba Christi ad sponsam, qualiter boni mores et bona opera clericorum per claras aquas et mali mores et mala opera per turpes et brutas aquas designantur. Capitulum LXIX.

1 Filius loquitur: ”Ex tribus perpendi potest, si aqua fontis non est bona. Primo, si non habet debitum colorem, secundo, si est lutosa, tertio, si aqua est continue stans et non in motu, recipiens sed non eiciens omnes sordes aduenientes.

2 Per istas aquas intelligo mores et corda clericorum, qui tamquam fontes tenentur esse dulces ad potandum per suavitatem morum, clausi contra omnes sordes viciorum. Ergo proprius color clerici vera est humilitas, ut tanto plus se humiliet cogitatione et opere, quanto obligaciorem se conspicit pro Deo debere laborare. **3** Ubi enim superbia est, ibi color est Dyaboli; que sicut manus leprosi hauriens aquam de fonte quasi abhominabilem reddit aquam intuentibus, sic ipsa superbia opera clerici monstrat maculosa.

4 Tunc vero est aqua lutosa, quando clericus cupidus est nec contentatur de necesariis; qui sicut sibi ipsi inutilis est et anxius, sic aliis per exemplum cupiditatis sue est nocivus. Tercio aqua immunda est, que recipit sordes et non eicit, et hoc prouenit ex incluso meatu et quia non habet motum. **5** Sic clericus immundus est, qui voluptatem carnis amat in corde et corpore et non per veram contritionem eicit a se quidquid immundum occurrit. Nam sicut macula in corpore ubique deformis est sed maxime in facie, sic immundicia omnibus odiosa debet esse sed maxime hiis, qui ad excellenciora sunt vocati.

6 Ergo hii clerici ad opus meum eligendi sunt, qui non habundant verbosa sciencia sed humilitate et puritate; qui et sibi ipsis viuunt et alios erudiunt verbo et exemplo, quia eciam manus leprosa ad opus meum est utilis, dummodo mens bona sit et manus non desit spiritualis.”

Verba Matris ad filiam passionem sui Filii benedicti per ordinem narrancia; et de forma et pulchritudine eiusdem Filii. Capitulum LXX.

1 Mater loquitur: ”Imminente passione Filii mei lacrime erant in oculis eius et sudor in corpore pre timore passionis. Et mox a conspectu meo abstractus est nec eum ultra vidi, donec educeretur ad flagellandum. **2** Tunc autem ad terram ita trahitur et impulsive prosternitur crudeliter, ut concusso capite dentes colliderentur, et ad collum et maxillam percutitur ita fortiter, ut sonus percussionis ad aures meas perueniret.

3 Deinde iubente lictore se ipsum vestibus exuit columpnam sponte amplectens, reste ligatur, et flagellis aculeatis infixis aculeis et retractis non auellendo sed sulcando totum corpus eius laceratur. **4** Ad primum igitur ictum ego quasi corde percusso sensibus abducor et post tempus euigilans corpus eius laceratum video. Toto enim corpore nudus erat, cum flagellaretur. **5** Tunc unus inimicorum eius assistentibus

lictoribus dicebat: 'Vultis hominem hunc sine iudicio occidere et causam mortis eius vestram facere?' Et hec dicens secuit ligamen. **6** Et iam solitus Filius meus a columpna primum ad vestimenta sua se conuertit, nec tamen spacium induendi se ei conceditur, sed adhuc dum traheretur, brachia sua manicis inseruit. **7** Vestigiaque eius, in quibus ad columpnam stetit, plena sanguine erant taliter, quod ego bene poteram omnia vestigia eius, que iuit, signo sanguinis agnoscere; qui tunc vultum suum sanguine manantem tunica detersit.

8 Deinde iudicatus crucem portans educitur, sed in via portans alius substituitur. Peruento igitur ad locum crucifixionis ecce malleus et quatuor clavi acuti in promptu sunt; et mox iussus vestes deponit paruumque linteum verendis preterexit, quod et ipse inde quasi consolatus adiuit ad ligandum. **9** Erat autem crux fixa et brachia crucis eleuata ita, ut nodus crucis inter scapulas esset; nec ullum capiti reclinatorium crux prebebat et tabula tituli utriusque brachio super caput eminenti affixa erat.

10 Ad crucem igitur iussus dorsum vertit et manum postulatus primum dexteram extendit, et inde alia manus ad reliquum cornu non attingens distenditur. **11** Et pedes similiter ad foramina sua distenduntur cancellatique et quasi infra a tibiis distincti duobus clavis ad crucis stipitem per solidum os, sicut et manus erant, configuntur. **12** Ad primum igitur ictum ferientis mallei ego ex dolore in extasi fio et euigilans Filium meum confixum video. Colloquentes eciam homines alterum ad alterum audio: 'Quid hic fecit: furtum, rapinam vel mendacium?' aliis respondentibus, quod mendax esset. **13** Et tunc corona spinea capiti eius artissime imposita fuit, que ad medium frontis descendebat plurimis riuis sanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem eius et crines et oculos et barbam replentibus, ut quasi nichil nisi sanguis totus videretur; nec ipse me astantem cruci videre potuit nisi sanguine expresso per ciliarum compressionem.

14 Me igitur discipulo suo commendata per eum, vocem ex ymmo pectoris erecto capite, oculis in celum directis et lacrimantibus, emisit dicens: 'Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?' **15** Quam vocem ego numquam, donec ad celum veni, obliuisci potui, quam plus ex compassione mea quam sua permotus protulit. **16** Tunc color mortis in partibus, quibus pre sanguine aspici potuit, accessit, dentibus maxille inheserunt, coste vero attenuate dinumerari poterant, venter autem consumptis iam humoribus dorso applicatur. **17** Et iam naribus attenuatis, cum cor prope scissionem esset, totum corpus eius contremuit et tunc barba eius super pectus cecidit. Tunc ego exinanita corrui in terram. **18** Igitur ore aperto, sicut iam exspirauerat, lingua, dentes et sanguis in ore ab aspicientibus videri poterant; et oculi semiclausi deorsum versi erant; **19** et corpus iam mortuum demissum pendebat, genibus autem in partem unam inclinati pedes ad partem alteram super clavos quasi cardines declinabant.

20 Interim vero alii homines astantes quasi insultando dicebant: 'O, Maria, iam filius tuus mortuus est.' Alii, quibus alcior sensus erat, dicebant: 'O, domina, iam pena filii tui ad eternam suam gloriam soluta est.' **21** Modico autem tempore post aperto latere et extracta lancea sanguis in cuspidi quasi brunei coloris apparuit, ut ex hoc intelligeretur cor transfixum. Que punctura cor meum penetrauit et mirum fuit, quod et ipsum non crepuit. **22** Aliis igitur recedentibus ego recedere non potui sed iam quasi consolata sum, quod corpus eius iam de cruce depositum contingere potui et in sinu recipere, vulnera explorare et extergere sanguinem. **23** Deinde os eius digiti mei clauerunt et oculos pariter composui. Brachia vero rigencia flectere non potui, ut se super pectus componerent sed super ventrem. Genua quoque extendi non potuerunt sed eminebant, sicut in cruce obriguerunt."

24 Item loquitur Mater: "Filium meum, qualis est in celo, videre non poteris sed, qualis erat secundum corpus in mundo, cognosce. Ipse enim tam pulcher facie erat, quod nullus videbat eum facie, qui non consolabatur in aspectu eius, eciam si precordialiter dolorem haberet. **25** Iusti vero spirituali consolacione

consolabantur, sed et mali a tristitia seculi tanto tempore, quo eum videbant, releuabantur. Unde et dolentes dicere consueuerunt: 'Eamus et filium Marie videamus, ut saltem tanto tempore releuemur.'

26 Anno igitur vicesimo etatis sue in magnitudine et fortitudine virili perfectus erat inter medios moderni temporis magnus, non carnosus sed neruis et ossibus corpulentus. **27** Capilli eius, supercilia et barba crocea brunea erant, longitudo barbe palmo per transuersum manus, frons vero non prominens vel mersa sed recta, nasus equalis non paruuus nec nimis magnus. **28** Oculi vero eius erant tam puri, quod eciam inimici eius delectabantur eum aspicere, labia non spissa sed clare rubencia. Mentum non erat prominens nec nimis longum sed pulchro moderamine venustum, maxille carnibus modeste plene. **29** Color eius erat candidus claro rubeo permixtus, statura eius recta. Et in toto corpore suo nulla macula erat, sicut et illi testabantur, qui eum totaliter viderunt nudum et ad columpnam ligatum flagellabant. **30** Numquam super eum vermis venit, non perplexitas aut immundicia in capillis."

Questiones grata a Christo sponse propositae et responsiones humiles sponse ad Christum factae; et qualiter Christus subiunxit pro eleccione filie sponse tres laudabiles status, scilicet statum virginitatis, coniugalis et vidualis. Capitulum LXXI.

1 Filius Dei loquitur sponse: "Responde michi ad quatuor, que quero. Si," inquit, "aliquis daret amico suo palmitem fructiferum, quem tamen dator retineret prope domum suam, eo quod haberet ex eius visu et odore consolacionem, quid respondere deberet dator, si is, cui palmes datus esset, peteret palmitem ad transplantandum eum in alium locum, ubi uberius fructificaret?" **2** Respondit illa: "Si amicus dedit ex caritate et esset sapiens cuperetque amico bonum, permitteret utique amico facere de palmite, quidquid vellet, dicendo ei: 'O, amice, licet ego ex vicinitate palmitis habeo gaudium, tamen quia non multum fructificat michi, gaudeo, quod ipsum transferre possis, si volueris, in locum uberiorem.'"

3 Quesiuit Dominus secundo: "Si parentes dedissent alicui iuueni filiam suam virginem virgineque consciente in iuuenem, si puer interrogatus a parentibus, utrum ipse habere vellet virginem vel non, et nichil responderet, utrum esset virgo desponsata vel non?" **4** Respondit illa: "Ut michi apparent, quia puer non expressit velle suum, virgo non est desponsata."

5 Dixit Dominus tertio: "Iuuenis nobilis stans inter tres virgines proposuit eis, quod quecumque illarum trium tale verbum proferret, quod eum ad feruenciom prouocaret caritatem, illa obtineret illud, quod iuuenis feruencius adamaret. **6** Tunc respondit prima: 'Ego sic feruenter diligo iuuenem hunc, quod antequam inquinari vellem cum alio, magis morerer.' Dixit secunda: 'Antequam unicum verbum proferrem contra velle suum, aut quod eum offenderet, magis paterer omem penam.' **7** Respondit tercia: 'Priusquam viderem minimum eius contemptum seu dampnum, magis cuperem michi omne dampnum penamque amaram pati.'" **8** Ergo inquit Dominus: "Dic michi, que istarum trium virginum plus dilexit iuuenem et que preferenda est in amore eius?" Respondit illa: "Ut michi videtur, omnes eque feruenter dilexerunt, quia omnes erant unius cordis ad eum, ideo et omnes eque digne erant ad habendam eius caritatem."

9 Dixit Dominus quarto: "Amicus," inquit, "erat, qui consuluit alium: 'Ego,' inquit, 'habeo granum triticum valde fructiferum. Si seminetur in terra, fructificat in magnam segetem. Sed quia valde esuriens sum, quid tibi videtur consulcius: comedere illud an seminare in terram?'" **10** Respondit amicus: 'Per aliam occasionem ista potest extingui esuries, sed est utilius tibi, ut in terra seminetur.'" Tunc Dominus

subiunxit: "Nonne, filia, et tibi similiter apparet, ut fames pacientis supportetur et granum multis profuturum seminetur?"

11 Iterum dixit Dominus: "Ista quatuor dicta pertinent ad te. Filia namque tua est quasi palmes, quam michi vouisti et dedisti. Nunc autem, quia apciorem locum scio pro ea, transplantare eam volo, ubi michi placet; nec ex hoc turbari debes, quia in transplantacione consensisti."

12 Iterum dixit Dominus: "Tu michi dedisti filiam tuam, sed ego non ostendi tibi, quid michi accep eius esset, virginitas eius an coniugium, vel utrum placeret michi sacrificium tuum an non. Ideo nunc cognita certitudine ea, que incertitudine facta sunt, corrigi possunt et mutari." **13** Iterum dixit Dominus: "Virginitas bona est et summa, quia angelis similis est, si tamen racionabiliter obseruetur et honeste. Si vero unum sine alio defuerit, scilicet virginitas carnis et non virginitas mentis, deformata est virginitas. **14** Nam accepior est michi coniugata deuota et humilis quam virgo superba et impudica; equalisque meriti esse possunt coniugata non lasciuens et iuxta regulam suam in timore Domini viuens et virgo pudica et humilis, **15** quia licet magnum est in igne probacionis esse et non ardere, tamen eque magnum est extra ignem esse religionis et in igne velle libencius esse et maiori ardore feruere ad Deum extra ignem quam qui est in igne.

16 Ecce de tribus pono tibi exemplum. Tres quippe fuerunt, Susanna, Iudith et Tecla virgo. Prima fuit coniugata, secunda vidua, tercia virgo. Iste inequalem vitam et intencionem habuerunt et tamen ex merito accionis sue in premio se conformant. **17** Susanna denique, cum a sacerdotibus false turbaretur, ex diuina caritate maluit mori quam contra regulam suam inquinari. Et quia me tamquam ubique presentem timuit, ideo et saluari meruit et ex saluacione glorificari. **18** Iudith vero, cum inhonoracionem meam videret et populi sui dispendium, tantum turbabatur, quod non solum obprobrio et dampno se exposuit ex diuina caritate sed et parata erat pro me penam pati. Tecla vero, que virgo fuit, hec amaras passiones maluit pati quam unum verbum contra me loqui. **19** Hee tres, licet non habuerunt unam accionem, tamen in merito concordant. Ideo siue virgo siue vidua omnes michi placere eque poterunt, dummodo desiderium totum ad me fuerit et vita bona."

20 Item dixit Dominus: "Filia tua siue steterit in virginitate siue in coniugio, eque acceptum est michi, dummodo ad velle meum ordinetur. Quid enim prodesset ei, si forte includeretur corpore et foris esset mente? An quid gloriosius est: sibi ipsi viuere an aliis prodesse? **21** Sed ego, qui omnia scio et prouideo, nichil facio sine causa. Ideo non veniet ad locum statutum cum primo fructu, quia ex timore est, nec cum secundo, quia ex tepiditate est, **22** sed in medio veniet, quia medium habet calorem amoris et fructum honestatis; qui vero eam recepturus est habeat tria, domum, vestes et cibum, quo eam recipiat."

Declaracio.

23 Filius loquitur: "Miraris, quare virgo peruenit ad coniugium eo modo, quo sperabas. Respondeo per similitudinem. Quidam nobilis disposuit filiam suam dare in matrimonium cuidam pauperi; **24** qui pauper, cum ad despnsacionem virginis debebat venisse, preuaricatus est leges ciuitatis et ob hoc repulsus cum dedecore a ciuibus nec obtinuit virginem, quam concupiuit. **25** Sic ego feci domino terre huius. Promisi enim ei facere grandia, sed ipse magis adhesit inimicis meis et ideo non peruenit ad ea, que promittebam.

26 Sed potes querere: Numquid non preuidebam futura? Utique preuidi, sicut et de Moyse et populo eius legitur, sed ideo ostendi et ostendo multa, ut homines preparent se ad bona et sciant facienda et pacienter expectent. **27** Verumtamen scias, quod ve unum abiit et alterum veniet super ingratos regni huius, ut post

veniat benediccio mea super humiles petentes misericordiam meam. Scito eciam, quod virginis hoc expedierit, quod staret consilio meo et sapientum."

28 Ista virgo creditur fuisse domina Cecilia, filia sancte Birgitte, de qua vide infra in vita sua.

Verba Christi ad sponsam de sororibus et Lazaro resuscitato; et qualiter sponsa et eius filia, ut credo, per sorores et anima per fratrem Lazarum et inuidi per Iudeos designantur; et quomodo Deus cum istis fecit maiorem misericordiam quam cum sororibus Lazari; et qualiter scientes multa loqui et pauca facere indignantur contra bene facientes. Capitulum LXXII.

1 Filius loquitur: "Due erant sorores Martha et Maria, que habuerunt fratrem Lazarum, quem eis de morte suscitaui; qui suscitatus plus michi seruuit postea quam antea. **2** Sic et sorores eius, que licet familiares et sedule erant in ministrando michi ante fratris suscitacionem, multo tamen magis sollicitiores et deuociores postea inueniebantur. **3** Consimili modo vobiscum nunc feci spiritualiter. Nam suscitaui vobis fratrem vestrum, id est animam vestram, que per quatuor dies mortua fetens alienauit se a me transgressione mandatorum meorum, praua cupiditate, dulcedine mundi et peccatorum delectacione.

4 Sed quatuor erant, que me ad resuscitandum Lazarum mouebant. Primum quia amicus erat, dum viueret. Secundum dileccio sororum. **5** Tercium quia humilitas Marie tantum meruit in lauacione pedum meorum, ut, sicut in conspectu conuiuancium se deicit propter me, sic in conspectu multorum letaretur et honoraretur. Quartum ut gloria humanitatis mee manifestaretur. **6** Ista vero quatuor non fuerunt in vobis, quia diligitis plus illis mundum. Ideo maior est misericordia mea in vobis, qui nullis meritis misericordiam meruistis, quam in illis sororibus; **7** et tanto plane maior, quanto mors spiritualis periculosior est corporali morte et resurreccio anime gloriosior resurreccione corporali.

8 Ergo, quia misericordia mea precessit opera vestra, colligite me sicut sorores ille in domum mentis vestre cum caritate feruentissima, nichil diligendo sicut me, totam fiduciam habendo in me, **9** humiliando vos cum Maria cotidieque plorando peccata vestra, non erubescendo humiliter viuere inter superbos, continentibus cum incontinentibus, ostendendo aliis exterius, quantum interius me amatis. **10** Debetis quoque esse sicut sorores ille cor unum et anima una, fortes ad mundi contemptum et prompte ad Dei laudem. Et si sic feceritis, tunc ego, qui resuscitaui vobis fratrem vestrum, id est animam, defendam eam, ne a Iudeis interficiatur.

11 Quid enim profuisset Lazaro surrexisse a presenti morte, nisi viuendo honestius in presenti vita gloriosius resurrexisset in secundam et permanentem vitam? **12** Sed qui sunt Iudei, qui Lazarum querunt interficere, nisi illi qui ex eo indignantur, quod melius hiis viuitis, qui sublimia didicerunt loqui et modica facere, qui fauores hominum sequentes tanto contemptibilis contempnunt facta predecessorum suorum, quanto minus dedianter vera et alciora intelligere?

13 Tales sunt multi, qui de virtutibus sciunt disputare sed non eas viuendo virtuose seruare. Ideo et eorum anime periclitantur, quia verba plurima sunt et facta non apparent. Numquid sic fecerunt predicatores mei? Nequaquam. **14** Ipsi certe monebant peccatores non verbis sublimibus sed paucis et caritatibus parati dare animas suas pro animabus eorum. Ideo propter caritatem eorum alii obtinuerunt caritatem, nam ardor

docentis plus quam verba animum audientis informabat. **15** Nunc autem plerique loquuntur de me ardua, sed nullus sequitur fructus, quia fatus solus non incendit ligna, nisi et igniculis scintille cooperentur.

16 Ego ab istis Iudeis custodiam et protegam vos, ne vel per verba vel eorum facta a me discedatis; non tamen ita defendam vos, quin nichil paciamini sed ne per impacienciam succumbatis. Vos enim adhibete voluntatem, et ego cum caritate mea incendam velle vestrum.”

Verba Virginis ad sponsam, qualiter non deberet turbari de milite denunciato et ostenso quasi mortuo.

Capitulum LXXIII.

1 Miles quidam viuens nuciabatur mortuus; qui eciam in spirituali visione ostendebatur sponse quasi mortuus petens auxilium. De cuius morte cum dicta domina turbaretur, dixit Mater misericordie ad eam: **2** ”Filia, utrum mortuus est miles iste vel non, scies tempore suo, sed nos volumus operari ad hoc, ut melius viuat.”

Verba Christi ad sponsam et Iohannis baptiste ad Christum ipsum laudando et in conspectu sui preces deuotas fundendo pro Christianis et quam maxime pro milite, cuius precibus ipse miles per manus ipsius et Virginis gloriose et Petri et Pauli est armaturis spiritualibus, id est virtutibus, armatus et honoratus; et quid pro omnibus armis corporalibus sigillatim designetur; et de bonis oracionibus. Capitulum LXXIII.

1 Filius Dei loquebatur sponse dicens: ”Tu composuisti hodie, quod melius esset preuenire quam preueniri. Sic ego preueni te dulcedine gracie mee, ne Dyabolus dominaretur anime tue.”

2 Et statim apparens Iohannes baptista dixit: ”Benedictus sis tu, Deus, qui est ante omnia, cum quo nullus umquam fuit deus et preter quem nullus et post quem nullus erit, quia tu es et eras eternaliter unus Deus. **3** Tu es veritas promissa a prophetis, de quo ego nondum natus exultaui et quem demonstrando plenius agnoscebam. Tu es gaudium nostrum et gloria, tu desiderabile nostrum et fruicio, quia videre te replet nos suauitate indicibili, quam nemo agnoscit, nisi qui degustat. **4** Tu quoque es sola dileccio nostra. Nec mirum, quod diligimus te, quia tu, cum sis ipsa caritas, non solum diligentes te diligis sed eciam, cum omnium sis creator, eciam hiis facis caritatem, qui te dedignantur scire. **5** Nunc ergo, Domine mi, quia diuites sumus de te et in te, rogamus te, ut des de nostris diuiciis spiritualibus hiis, qui nichil diuiciarum habent, ut, sicut nos gaudemus in te non nostris meritis, sic plures participantur bonis nostris.”

6 Respondit Christus: ”Tu vere es sumnum membrum cum capite et iuxta caput. Verumtamen fauces sunt propinquiores et excellenciores. Sic ego omnium caput sum, Mater vero mea quasi fauces, deinde angeli. **7** Tu vero et apostoli mei quasi spondilia dorsi, quia non solum diligitis me sed et diligentes me promouendo honoratis. Ideo fixum est quod dixi: opera, que ego facio, et vos facietis et voluntas vestra est voluntas mea. **8** Sicut enim non mouetur caput carnale sine membris, sic nec in vestra spirituali coniunctione et unione aliquid est velle et non posse sed totum est posse, quod unusquisque vestrum velit. Ideo fiat, quod petis.”

9 Quibus dictis Iohannes quendam militem quasi semimortuum produxit in medium et dixit: "Ecce, Domine, ecce iste, qui hic astat, deuouerat tibi miliciam; qui conatur ad pugnandum sed non preualet, quia inermis est et infirmus. **10** Ego vero duplici de causa iuuare eum teneor tum propter merita parentum, tum eciam propter caritatem, qua afficitur circa honorem meum. Ergo propter temet ipsum da ei vestes milicie, ne appareat confusio nuditatis sue."

11 Respondit Dominus: "Da ei," inquit, "quod vis et vesti eum, sicut placet!" Tunc ait Iohannes: "Veni, fili, et accipe a me primum vestimentum milicie tue; quo adepto facilius accipere et tolerare poteris reliqua militaria indumenta. **12** Ad militem itaque pertinet habere vicinus ad carnem hoc, quod molle est et leue, scilicet dyplodem. Hanc ergo induam te, quia sic placet Deo. Sicut enim corporalis dyplois mollis est et leuis, sic spiritualis est dyplois habere Deum carum in anima et suauem in affectu. **13** Dulcedo quippe ad Deum prouenit ex duobus, scilicet ex consideracione beneficiorum Dei et ex recordacione peccatorum commissorum. Hec duo ego puer habui. **14** Consideraui quippe, quali gracia me preuenit Deus nondum natum, quanta benedictione benedixit me post natuitatem, et considerando ingemui, quid possem dignum reddere Deo meo. **15** Consideraui eciam instabilitatem mundi, et ideo curri in heremum, ubi tantum dulcescebat michi Dominus Iesus meus, quod omnia desiderabilia mundi erant michi in fastidio ad cogitandum et onerosa ad concupiscendum. Veni ergo et induere ista dyplode, quia reliqua dabuntur tibi tempore suo."

16 Deinde apparuit beatus Petrus apostolus dicens: "Iohannes dedit tibi dyplodem; ego autem, qui grauiter cecidi sed fortiter surrexi, impetrabo tibi loricam, id est diuinam caritatem. **17** Sicut enim lorica ex multis esse constat circulis ferreis, sic caritas defendit contra tela inimici et animequiom reddit hominem ad toleranda mala ingruencia, agiliorem efficit ad honorem Dei et ferenziorem ad diuinos labores, inuictum in aduersitatibus, longanimem in spe, perseverantem in inceptis. **18** Hec itaque lorica fulgere debet ut aurum, fortis esse ut calibz et ferrum, quia omnis homo caritatem habens ductilis debet esse ut aurum per pacienciam contra aduersitates fulgensque per sapienciam et discretionem, ne heresim recipiat pro integritate fidei dubiaque pro certis. **19** Sit quoque lorica fortis ut ferrum, ut, sicut ferrum domat omnia, sic homo utens caritate studeat humiliare eos qui resistunt fidei et bonis moribus, non retrocedat propter allocuciones, **20** non flectatur propter amicicias, non tepescat propter commoda sua temporalia, non dissimulet propter quietem carnis, non vereatur propter mortem, quia nemo potest auferre vitam nisi permittente Deo. **21** Verumptamen quamuis lorica ex multis constat esse circulis, tamen duo sunt principales circuli, quibus lorica contextur caritatis. Primus itaque caritatis circulus est cognitio Dei et frequens consideracio diuinorum beneficiorum et preceptorum, ut sciat homo, quid faciendum sit Deo, quid proximo quidue mundo. **22** Secundus circulus est refrenacio proprie voluntatis propter Deum. Omnis quippe, qui Deum perfecte et integre diligit, nil sibi ipsi de voluntate sua, que contra Deum est, reseruat. Ecce, fili, hanc loricam dat tibi Deus, et ego promerui tibi preuentus caritate Dei."

23 Deinde apparuit beatus Paulus dicens: "O, fili, Petrus summus pastor ouium dedit tibi loricam; ego vero ex caritate Dei dabo tibi thoracem, que est caritas ad proximum, velle scilicet pro salute proximi libenter operante Dei gratia mori. **24** Sicut enim in thorace multe sunt lamine combinatae et clavi coniungentes, sic in caritate proximi multe concurrunt virtutes. Omnis quippe, qui diligit proximum, tenetur primum dolere, quod omnes, qui sunt redempti sanguine Iesu Christi, non rependunt Deo dilectionem. **25** Secundo dolendum est, quod sancta Ecclesia, sponsa Dei, non stat in sua laudabili dispositione. Tercio, quod paucissimi sunt, qui passionem Dei recordantur cum amaritudine et caritate. Quarto attendere debet, ne proximus suus corrumperatur aliquo exemplo suo prauo. **26** Quinto dare proximo suo bona sua hylariter et orare pro eo Deum, ut in omni bono proficiat et perficiatur. Clavi vero coniungentes laminas sunt verba

diuina. **27** Nam homo caritatius, ubi viderit proximum tribulatum, debet eum consolari verbis caritatiis, impugnatum vero contra iusticiam defendere, infirmos visitare, captiuos redimere, pauperes non erubescere, veritatem semper amare, caritati Dei nichil preponere, a iusticia numquam deuiare. **28** Hac itaque thorace ego fui indutus, qui infirmus fui cum infirmis, qui in conspectu regum et principum non erubui veritatem loqui et pro salute proximi mori paratus fui."

29 Deinde apparuit Mater Dei et dixit isti militi: "Quid," inquit, "fili, adhuc tibi deest?" Et ille: "Caput," inquit, "non habet galeam." Tunc Mater misericordie dixit ad angelum custodem anime eius: "Quid," inquit, "profuit anime custodia tua, aut quid habes presentare Domino nostro?" **30** Respondit angelus: "Habeo aliqua, licet modica sint. Nam quandoque fecit elemosinam et legit aliquas oraciones ex caritate Dei, quandoque eciam dimisit voluntatem propriam propter Deum rogans Deum sinceriter, ut ei vilesceret mundus et Deus fieret ei super omnia carus." **31** Respondit Mater: "Bonum est aliqua apportare. Ergo volumus facere sicut bonus aurifaber facit, qui faciens opus grande de auro, si necessitatur et deficit in auro, petit auxilium ab amicis habentibus. Quem omnes habentes aurum iuuant, ut perficiatur opus eius. **32** Qui vero facit opus luteum, quis dabit ei de auro suo, cum indignum sit aurum misceri luto? Ergo omnes sancti diuites auro promerebuntur tibi mecum galeam, quam habiturus es. Ista autem galea est voluntas placendi soli Deo. **33** Sicut enim galea defendit caput a iaculis et ictibus, sic voluntas bona et sola ad Deum defendit animam, ne temptationes dyabolice preualeant contra eam, Deumque in animam introducit. **34** Hanc habuit ille bonus Georgius et Mauricius et plures alii, ymmo eciam latro pendens in cruce; sine qua nemo fundamentum bonum iaciens nec perueniet ad coronam. In hac quoque galea debent esse duo foramina ante oculos, quibus preuideantur adueniencia. **35** Que sunt discrecio faciendorum et caucio omittendorum, quia sine discrecio et premeditacione multa sunt in fine mala, que in principio videntur bona."

36 Iterum loquitur Mater ad militem: "Quid adhuc tibi deest, fili?" Et ille respondit: "Manus," inquit, "nude sunt et non habent armaturam." **37** Cui Mater: "Ego iuuabo, ut manus non sint nude. Ergo sicut due sunt manus carnis, sic due sunt manus spirituales. Dextera autem manus, qua tenendus est gladius, significat opus iusticie, in qua debent esse quinque virtutes quasi quinque digiti. **38** Prima est, ut omnis iustus primo sit iustus sibi ipsi cauendo scilicet, ne quid in locuzione seu operacione aut exemplo appareat, quod proximum possit offendere, ne quod ex iusticia reprehendit vel docet in aliis destruat moribus inordinatis. **39** Secunda est non facere iusticiam seu iusticie opera propter fauorem hominum seu cupiditatem mundi sed amore solius Dei. Tercia est non timere aliquem contra iusticiam nec dissimulare propter amiciciam nec flecti a iusticia pro paupere vel diuite, amico seu inimico. **40** Quarta est libenter eciam velle pro iusticia mori. Quinta est non solum facere iusticiam sed eciam sapienter diligere iusticiam, ut et in iudicio sit misericordia et iusticia et ut aliter corrigatur qui minus peccat et aliter qui grauius, aliterque qui peccat ex ignorantia et aliter qui peccat ex industria seu malignitate. **41** Quicumque autem istos digitos quinque habuerit, cauere debet, ne gladium exacuet in impaciencia, ne delectacio mundana hebet, ne imprudencia excuciet, ne leuitas animi denigret.

42 Sinistra vero manus est oracio diuina, que eciam quinque digitos habebit. Primus est firmiter credere articulos fidei de deitate et humanitate omniaque operando: credere que sancta Ecclesia, sponsa Dei, confitetur. **43** Secundus est nolle scienter peccare contra Deum velleque commissa omnia contricione et satisfaccione emendare. Tercius est orare Deum, ut amor carnis conuertatur in amorem spiritualem. **44** Quartus est non ad aliud viuere in mundo, nisi ut Deo faciat honorem et ut minuat peccata. Quintus est nichil de se ipso presumere sed semper timere Deum mortemque omni hora expectare. Ecce, fili, hee sunt due manus, quas habere debes, **45** dextera scilicet, qua vibrandus est gladius iusticie contra transgressores

iusticie, sinistra vero oracionis, qua petendum est auxilium a Deo, ut numquam confidas de tua iusticia nec insolecas contra Deum tuum."

46 Iterum beata Maria apparuit et dixit militi: "Quid adhuc tibi deest, fili?" Respondit ille: "Armatura," inquit, "pedum." Et illa: "Audi," inquit, "miles olim mundi sed iam nunc meus. **47** Omnia, quecumque sunt in celo et in terra, creauit Deus, sed inter omnia inferiora dignior et pulchrior creatura est anima, que similis est ymaginacionibus suis voluntati bone. **48** Sicut enim de arbore multi procedunt palmites, sic de anime spirituali exercitacione et operacione omnis procedit virtutum perfeccio. **49** Ergo ut obtineatur spiritualis armatura pedum, voluntas bona mediante gracia Dei debet esse inicium, in qua debet esse duplex consideracio tamquam duo pedes super bases aureas. **50** Primus itaque pes anime perfecte est consideracio huiusmodi, scilicet quod nollet peccare contra Deum, eciam si non sequeretur pena. Secundus pes est bona opera facere, eciam si sciret se dampnandum propter magnam pacienciam et caritatem Dei. **51** Genua vero anime sunt hylaritas et fortitudo bone voluntatis. Sicut enim genua incuruantur et flectuntur ad usum pedum, sic voluntas anime flecti et refrenari debet secundum rationem ad velle Dei.

52 Scriptum enim est, quod spiritus et caro sibi ad inuicem aduersantur. Ideo et Paulus dicit: 'Non quod volo bonum, hoc ago,' quasi diceret: 'Quedam bona volo secundum animam sed non preualeo propter infirmitatem carnis. Sed et si quandoque potero facere sed non cum hylaritate, quid ergo?' **53** Numquid ideo priuabatur apostolus mercede, quia voluit et non potuit? Aut quia fecit bona sed non cum hylaritate? Nequaquam. Sed magis augebatur ei corona dupliciter. Primo quia ab exteriori homine erat ei laboriosa operacio propter carnem reluctantem bono; secundo ab homine interiori, quia non erat ei consolacio semper spiritualis. **54** Ideo multi seculares laborant temporaliter sed non pro hiis coronantur, quia laborant motu carnis. Qui quidem labor si esset preceptum Dei, nequaquam sic feruerent in laborando. **55** Isti itaque duo pedes anime, scilicet nolle peccare contra Deum et velle bona opera facere, eciam si sequeretur dampnacio, armandi sunt duplii armatura, scilicet discreto usu temporalium et discreto desiderio ad celestia appetenda. **56** Discretus autem usus temporalium est habere bona ad moderatam suam sustencionem non ad superfluitatem. Discretum vero desiderium celestium est celestia bonis operibus et labore velle promerer. **57** Homo quippe per ingratitudinem et desidiam auersus est a Deo, ideo per labores et humilitatem ad Deum est redeundum. Ergo, fili, quia ista non habuisti, rogemus sanctos martires et confessores, qui talibus diuiciis abundabant, quod tibi auxilientur."

58 Tunc statim sancti apparentes dixerunt: "O, Domina benedicta, tu portasti Dominum vite et tu Domina omnium es. Quid est, quod non poteris? Quod enim tu vis, hoc factum est. Voluntas tua semper est nostra. Tu merito Mater caritatis es, quia omnes visitas caritate."

59 Iterum apparuit Mater et dixit militi: "Fili, adhuc deficit clipeus nobis. Itaque ad clipeum duo pertinent, scilicet fortitudo et signum domini, sub quo militat. **60** Ergo clipeus spiritualis significat consideracionem amare passionis Dei, que debet esse in sinistro brachio iuxta cor, ut, quociens animum delectat voluptas carnis, considerentur liuores Iesu Christi. **61** Quociens vero pungit et contrastat animum despeccio et aduersitas mundi, remmorentur paupertas et obprobria Christi. Quociens vero delectat honor et longa vita carnis, recogitetur amara mors et passio Christi.

62 Talis clipeus debet habere fortitudinem perseverancie in bono latitudinemque caritatis. Signum vero clipei debet esse de duobus coloribus, quia nichil clarissimum et longius prospicitur quam quod de duobus coloribus fulgentibus est compactum. **63** Duo autem colores, quibus clipeus consideracionis passionis diuine decoratur, sunt continencia affectionum inordinatarum puritasque et refrenacio motuum carnis. **64**

Hiis enim duobus illustratur celum, et angeli videntes congratulando gaudent dicentes: 'Ecce signum puritatis et societatis nostre. Adiuuare tenemur militem istum.' **65** Demones vero videntes militem hiis signis clipei decoratum clamabunt: 'Quid faciemus, o socii? Iste miles terribilis est in congressione, decorus in armis. **66** In lateribus eius sunt arma virtutum, in tergo castra angelorum, a sinistris vigilantissimum habet custodem, scilicet Deum, in circuitu plenus est oculis, quibus inspicit maliciam nostram. Impugnare eum quidem possumus sed in confusionem nostram, quia nequaquam preualemus.' **67** O, quam felix est talis miles, quem angeli honorant et cuius timore demones contremiscunt! Verumptamen, fili, quia istum clipeum nondum obtinuisti, rogemus sanctos angelos puritate spirituali nitentes, ut te iuuent."

68 Iterum loquitur Mater: "Fili, adhuc deficit nobis gladius. Itaque ad gladium duo pertinent: primo quod habeat duas acies, secundo quod sit bene exacuatus. **69** Gladius ergo spiritualis est confidencia in Deo ad preliandum pro iusticia. Hec autem confidencia duas debet habere acies, scilicet rectitudinem iusticie in prosperis tamquam a dexteris et graciarum actionem in aduersis tamquam a sinistris. **70** Talem gladium habuit ille bonus Iob, qui in prosperis obtulit sacrificium pro filiis, qui pater erat pauperum, et ostium eius viatori patuit; qui in vanitate non ambulauit nec concupiuit aliena sed timuit Deum sicut sedens super fluctus maris. **71** Habuit quoque graciarum actionem in aduersis, quando perditis filiis et bonis, quando conuiciatus ab uxore et percussus ulcere pessimo sustinuit pacienter dicens: 'Dominus dedit, Dominus abstulit; sit ipse benedictus.' **72** Hic quoque gladius debet esse bene exacuatus conterendo impugnantes iusticiam ut Moyses et Dauid, habendo zelum legis ut Phinees, loquendo constanter ut Helyas et Iohannes. **73** O, quam multorum gladius nunc nimis hebetatus est, qui, si loquuntur verbo, digito non mouent; querentes amiciciam hominum et gloriam Dei non attendunt. Ergo, quia gladium talem non habuisti, rogemus patriarchas et prophetas, qui talem confidenciam habuerunt, et dabitur nobis confidenter."

74 Iterum apparuit Mater dicens militi: "Adhuc, fili, necessarium est tibi coopertorium super arma, quo arma defenduntur a rubigine et ne a pluia maculentur. Hoc autem coopertorium est caritas, velle mori pro Deo. **75** Et eciam si possibile esset separari a Deo pro salute fratrum, hec caritas operit omnia peccata, conseruat virtutes, mitigat iram Dei, omnia facit possibilia, deterret demonia, gaudium est angelorum. **76** Hoc vero operimentum debet esse intus album et ab extra fulgens quasi aurum, quia ubi zelus diuini amoris est, ibi utraque mundicia non est neglecta. Hac itaque caritate habundabant apostoli. Ideo rogandi sunt, ut tibi auxilientur."

77 Iterum apparuit Mater dicens: "Adhuc tibi, fili, necessarius est equus et sella. Itaque per equum spiritualiter intelligitur baptisma. **78** Sicut enim equus prouehit hominem ad aliquam perficiendam viam habens quatuor pedes, sic baptisma, quod per equum intelligitur, prouehit hominem ante conspectum Dei habens quatuor effectus spirituales. **79** Primus est, quod baptizati liberantur a Dyabolo et obligantur ad mandata et seruicia Dei. Secundus est, quod purgantur a peccato originali. Tercius est, quod filii Dei efficiuntur et coheredes Dei. Quartus est, quod celum eis aperitur.

80 Sed heu multi sunt qui, cum ad annos discretionis perueniunt, imponunt equo baptismatis frenum et abducunt eum per viam falsam. **81** Tunc quippe via baptismatis recta est et tenetur recte, quando homo infra annos discretionis instruitur et conseruatur in bonis moribus et quando homo peruenit ad annos discretionis et cogitat sedule, quid in fonte baptismatis promissum est, tenetque fidem et caritatem Dei inuiolatam. **82** Sed tunc abducitur a via recta et imponitur frenum, quando mundus et caro preponuntur Deo.

83 Sella vero equi, id est baptismi est effectus amare passionis et mortis Iesu Christi, per quem baptismus obtinuit effectum. Quid enim est aqua nisi elementum? Postquam vero effusus est sanguis Dei, venit ad elementum verbum Dei et virtus effusi sanguinis Dei. **84** Et sic aqua baptismi per verbum Dei facta est reconciliatio hominis et Dei, porta misericordie, expulsio demonum, via celi, venia peccatorum. **85** Ergo qui in virtute baptismi gloriari voluerit, cogitet primo amaritudinem institutionis baptismalis effectus, ut, cum mens humana contra Deum intumuerit, cogitet, quam amare redemptus sit, quociens eciam votum baptismi transgressus est, quidue pro tanta recidiuacione promeretur.

86 Item, ut homo firmiter in sella baptismalis effectus sedeat, necessarie sunt due strigiles, scilicet duplex consideracio in oracione. **87** Primo orare debet taliter: 'O, Domine Deus omnipotens, benedictus sis tu, quia me creasti et redemisti. Et cum dampnacione dignus essem, in peccatis tolerasti et ad penitenciam reseruasti. **88** Recognosco, Domine, coram maiestate tua omnia, quecumque dedisti michi ad salutem, inutiliter et dampnabiliter expendisse, videlicet tempus penitencie mee in vanitatibus, corpus in superfluitatibus, graciam baptismi in superbiis. **89** Et omnia dilexi plus quam te, creatorem et redemptorem, nutritorem et conseruatorem meum. Et ideo misericordiam tuam peto, quia miser sum ex me. **90** Et quia non agnoui benignam pacienciam tuam in me, non timui horrendam equitatem tuam, non attendebam, quid tibi pro innumerabilibus bonis tuis responderem, sed contra de die in diem te malis meis prouocabam. **91** Propterea non habeo nisi unicum verbum ad te, scilicet: Miserere me, Deus, secundum magnam misericordiam tuam!'

92 Item secunda oracio sit talis: 'O, Domine Deus omnipotens, scio me omnia habere a te et sine te nichil esse nec posse nisi solummodo hoc, quod ego ipsem feci, scilicet peccatum. **93** Ideo deprecor humiliter pietatem tuam, ut non secundum peccata mea facias michi sed secundum magnam misericordiam tuam. Et mitte michi Spiritum sanctum tuum, qui illuminet cor meum et confirmet in viam mandatorum tuorum, ut in hiis que te inspirante cognoui perseverare valeam nullisque temptationibus a te separari.' **94** Ergo, fili, quia ista deficiunt tibi, rogemus illos qui passionem Dei amarius fixerunt in corde suo, ut tibi tribuant de caritate sua.'

95 Quibus dictis statim apparuit quasi unus equus paratus cum ornamentis deauratis. Et respondit Mater: "Iste," inquit, "ornatus equi significat dona sancti Spiritus, que in baptismo largiuntur. **96** In baptismo quippe, siue per bonum siue per malum ministretur ministrum, remittitur paternum delictum, augetur gracia, dimititur quocumque peccatum, datur Spiritus sanctus in pignus, angelii in custodiam, celum in hereditatem.

97 Ecce, fili, hec sunt ornamenta spiritualis militis, quibus qui indutus fuerit accipiet stipendum illud indicibile, quo emitur delectabile perpetuum, honor quietissimus, eternalis abundancia, vita sine fine."

98 Iste miles fuit dominus Karolus, filius sancte Birgitte.

Verba sponse precancia ad Christum et ad Virginem laudes optimas inducendo; et responsio Virginis consolatoria ad filiam probans per exempla exposita, quod Deus iusto iudicio frequenter de mendacio Dyaboli permittit, ut virtus Dei sit manifestior; et quomodo tribulaciones inductiua sunt ad spiritualia bona. Capitulum LXXV.

1 ”Benedictus sis tu, Deus meus, creator meus et redemptor meus. Tu es stipendum illud, quo a captiuitate redempti sumus, quo ad salutaria cuncta dirigimur, quo unitati et trinitati sociamur. **2** Propterea et si de feditate mea erubesco, gaudeo tamen, quod tu, qui semel pro salute nostra mortuus es, numquam amplius morieris. **3** Tu enim vere ille es qui eciam ante secula eras, tu es qui potestatem habes vite et mortis, tu solus es bonus et iustus, tu solus omnipotens et metuendus. Ideo sis tu in eternum benedictus.

4 Sed quid de te dicam, o benedicta Maria, mundi tota salus? Tu es similis illi qui amico dolenti de perdita re subito fecit videri quod perditum erat, quo mitigabatur dolor, creuit gaudium et mens tota reaccendebaru leticia. **5** Sic tu, dulcissima Mater, ostendisti mundo Deum suum, quem homines perdiderant, genuistique eum in tempore, qui ante tempora genitus est; ex cuius nativitate celestia et terrestria sunt gauisa. **6** Ideo, dulcissima Mater, rogo te, adiuua me, ne gaudeat inimicus de me nec preualeat aduersum me fraudibus suis.”

7 Respondit Mater: ”Ego iuuabo te, sed cur turbaris, quod aliud ostendebatur tibi spiritualiter et aliud audiebatur corporaliter, in eo scilicet, quod ille miles, qui viuit corporaliter, ostendebatur tibi mortuus spiritualiter et spirituali auxilio indigere? **8** Sed audi nunc certitudinem. Omnis namque veritas ex Deo est omneque mendacium a Dyabolo, quia pater mendacii est. **9** Ideo, quamvis veritas ex Deo est, tamen de Dyaboli malicia et mendaciuo, quod Deus quandoque permittit occulto iudicio, virtus Dei fit manifestior, sicut per exemplum indicabo tibi.

10 Virgo quedam fuit, que sponsum suum tenerrime diligebat et similiter sponsus virginem; ex quorum dileccione Deus glorificabatur et parentes amborum letabantur. **11** Quod inimicus eorum considerans cogitauit taliter: ’Scio,’ inquiens, ’quod sponsus et sponsa per tria conueniunt, scilicet per litteras, per mutua colloquia aut per corporum unionem. **12** Ergo, ne nuncii et portatores litterarum aditum obtineant, implebo vias omnes stipibus, spinis et uncinis. Ne vero appropinquent ad mutua colloquia, faciam clamores et strepitus, quibus distraherentur in colloquendo. **13** Ne vero conueniant nudi in lecto, statuam custodes tales, qui quamlibet rimam obseruabunt, ne aliquam occasionem obtineant conueniendi.’

14 Sponsus itaque astucior hoste intelligens ista dixit seruis suis: ’Hostis meus ponit michi insidias in talibus. Et vos illis locis attendite, quod si ita inueneritis, sinite eum laborare, donec posuerit laqueos, **15** et postea consurgentis ne interficiatis eum sed deludendo in clamore eum, ut conserui vestri videntes astacias hostis efficantur sollicitiores in vigilando et custodiendo.’ **16** Simili modo est eciam in spiritualibus. Nam littere, quibus sponsus et sponsa, id est Deus et anima bona conueniunt, nichil aliud sunt nisi oraciones et suspiria bonorum. **17** Sicut enim littere corporales indicant affectum et voluntatem mittentis eas, sic oraciones bonorum ingrediuntur ad cor Dei et coniungunt animam Deo in unum vinculum caritatis. **18** Sed Dyabolus impedit quandoque corda hominum, ne rogant ea que salutis anime sunt aut quod carnali voluptati contrarium est. Impedit quoque, ne rogantes pro aliis peccatoribus exaudiantur; qui peccatores pro se utiliora anime non petunt nec rogant ea que sunt ad utilitatem sempiternam.

19 Quid vero sunt mutua colloquia, quibus sponsus et sponsa efficiuntur cor unum et anima una, nisi penitencia et contricio? In quibus quandoque Dyabolus tantum facit clamorem, quod ad inuicem non audiuntur. **20** Quid autem est clamor eius nisi suggestio eius prava sugerens cordi fructuose volenti penitere, dicens inspirationibus suis: ’O, anima,’ inquiens, ’delicata. Durum est aggredi inconsueta et insolita; numquid omnes possent esse perfecti? **21** Sufficit tibi esse unum de multis; quid maiora attemptas? Cur facis quod nemo? Perseuerare enim non poteris; derideris ab omnibus, si te nimis humilias et submittis.’

22 Talibus igitur anima delusa inspiracionibus cogitat secum: 'Graue,' inquit, 'est consueta relinquere, ideo faciam confessionem de preteritis. Sufficit enim michi sequi viam plurium, non valeo esse perfecta. Deus quippe misericors est nec redemisset nos, si perire nos voluisset.' **23** Talibus clamoribus impedit Dyabolus animam, ne audiat Deus. Non quod non audit Deus omnia sed quia in audiendo talia non delectatur, quando anima consentit magis temptationi sue quam proprie racioni.

24 Quid vero est, quod Deus et anima coniunguntur nudi nisi desiderium celeste et caritas pura, quibus anima flagrare debet omni hora? Sed hec caritas impeditur quadrupliciter. **25** Primo instigat Dyabolus animam aliquid facere contra Deum, quod licet non reputatur graue, tamen delectat animum. Et huiusmodi delectacio, quia leuigatur nec curatur, odiosa est apud Deum. **26** Secundo inspirat Dyabolus anime aliqua bona facere propter placenciam hominum et omittere quandoque bona, que posset facere, propter honorem et timorem mundi. **27** Tercio Dyabolus immittit obliuionem faciendorum bonorum anime et tedium, per que animus absentia attediatur in faciendo bona. **28** Quarto Dyabolus sollicitat animam aut in curis mundialium aut in gaudio et dolore superuacuo seu in timore dispendioso.

29 Per talia itaque impediuntur littere id est oraciones iustorum et mutua colloquia sponsi atque sponse. Sed licet Dyabolus astutus est, tamen Deus sapientior atque forcior comminuens laqueos hostis, ut littere misse peruenire valeant ad sponsum. **30** Tunc autem franguntur laquei, quando Deus immittit cogitare que bona sunt, et cor desiderat, ut obtineat voluntatem fugiendi que prava sunt et faciendi que placita sunt Deo. Dissipatur eciam clamor hostis, quando anima discrete penitet habens velle confessa non iterandi.

31 Scito eciam, quod Dyabolus non solum facit clamorem et strepitum hiis, qui sunt inimici Dei, sed eciam amicis Dei, sicut per exemplum intelligere poteris, quasi esset virgo, cui cum loqueretur vir apparuit quoddam antipendium inter eos, quod quidem vir vidit sed non virgo. **32** Finita autem collocuzione virgo eleuatis oculis vidit antipendium et timens cogitauit secum: 'Prouideat,' inquit, 'Deus, ne forte laqueis hostis sim decepta.' Sponsus vero videns virginem contristatam remouit antipendium et ostendit ei omnem veritatem. **33** Sic eciam perfecti homines visitantur inspiracionibus diuinis, quibus Dyabolus facit tunc clamores, quando vel eleuantur subita superbia aut eiciuntur nimio timore seu inordinate condescendendo tolerant aliorum peccata aut nimia leticia vel tristitia dissoluuntur.

34 Similiter factum est tecum. Dyabolus quippe instigabat quosdam scribere tibi illum esse mortuum, qui viuebat, unde magnum concepisti dolorem. Sed Deus ostendit tibi spiritualem mortem eius, ut quod scriptores dixerunt corporaliter esse falsum, hoc Deus consolando te spiritualiter ostendit esse verum. **35** Ideo verum est quod dicitur, quod tribulaciones inductiae sunt ad spiritualia bona, quia, nisi propter mendacium auditum fuisses contristata, tanta virtus et pulchritudo anime ostensa tibi non fuisset. **36** Propterea et ut intelligeres occultam Dei dispensacionem, quasi quoddam antipendium erat inter animam tuam et Deum loquentem, quia anima apparuit in specie indigentis auxilio, et Deus in omni locuzione sua istam obseruauit conclusionem: 'Utrum,' inquit, 'mortuus est vel viuit, scies tempore suo.' **37** Ostensa vero pulchritudine anime et ornatu, quo anima perfici debet ad ingressum celi, ablatum est antipendium et ostensa veritas, quod scilicet homo ille corporaliter viuebat et spiritualiter erat mortuus, et talibus virtutibus armari debet quicumque patriam celestem est ingressurus.

38 Verumptamen Dyaboli intencio fuit ista, ut scilicet probaret te per mendacium et tribularet et ut dolendo de subtraccione tam cari amici distraheret te ab amore Dei. **39** Sed postquam dixisti: 'Prouideat Deus, ne forte istud sit illusio!' et dixisti: 'Deus, adiuua me!' tunc ablatum est velamen et ostensa est tibi veritas a

Deo tam corporalis quam spiritualis. **40** Ideo ergo permittitur Dyabolo eciam tribulare iustos, ut eorum corona augeatur.”

Verba Virginis ad filiam ostendencia, qui sunt amici Dei; et quomodo pauci inueniuntur modernis temporibus assignando omnem statum tam laycorum quam clericorum; et que est causa, quare Deus diues dilexit paupertatem; et quare elegit pauperes et non diuites; et ad quem finem diuicie fuerunt concesse Ecclesie. Capitulum LXXVI.

1 Mater loquitur sponse Christi: ”Cur turbaris, filia?” ”Quia,” inquit, ”timeo mitti ad induratos.” Et Mater: ”Unde intelligis,” inquit, ”induratos aut amicos dei?” **2** Et illa: ”Nescio discernere nec de aliquibus iudicare audeo, quia duo homines ostensi sunt michi prius, quorum alter humillimus et sanctissimus iudicio hominum apparebat, aliis vero largus et ambiosus; **3** quorum tamen intencio et voluntas discordabat ab opere. Vehementer terruerunt intellectum meum.”

4 Respondit Mater: ”Ex hiis que aperte videntur mala iudicare permittitur animo scilicet compaciendi et corrigendi. De dubiis vero, que, quo animo fiunt, non sunt certa, iudicare non est tutum. **5** Propterea indicare tibi volo, qui sunt amici Dei. Scito itaque illos esse amicos Dei, qui in acceptis donis Dei timidi sunt et pro hiis omni hora regraciantur Deo et superflua non requirunt sed de datis contentantur. **6** Sed ubi inueniuntur illi tales? Inquiramus primo in communitate. Quis est, qui dicat: ’Sufficit, maiora non requiro.’ **7** Inquiramus in militibus et dominis aliis, quis eorum cogitat taliter: ’Bona, que habeo, hereditate acquisiui et de hiis sustentamentum meum moderatum iuxta statum meum Deo et hominibus conuenienter requiro. **8** Cetera vero Deo et pauperibus communicabo. Si vero bona ista hereditaria scirem acquisita male, aut restituerem aut dimitterem consilio electorum spiritualium seruorum Dei.’ O, filia, talis cogitacio rara est in terra!

9 Inquiramus eciam in regibus et in ducibus, quis stat in laudabili suo statu. Ille quippe est rex, qui in moribus suis est sicut Iob, in humilitate sicut Dauid, in zelo regis ut Phinees, ut Moyses in mansuetudine et longanimitate. **10** Ille quoque est dux, qui regis exercitum regit et informat ad prelia, qui fiduciam habet in Deo et timorem ut Iosue, qui utilitatem domini sui plus querit quam propriam ut Ioab, qui zelum legis et commodum proximorum diligit ut Judas Machabeus. **11** Talis dux similis est unicornio, qui acutum habet cornu in fronte et sub cornu lapidem preciosum. Quid autem est cornu ducis nisi cor virile ducis, quo pugnandum est fortiter hostesque fidei feriendi? **12** Lapis vero sub cornu ducis est caritas diuina, que iugiter in corde manens reddit eum ad omnia agilem et inuictum. Sed nunc duces similiores sunt hedis lasciuis quam unicorniis, quia ubique pugnant pro carne, non pro anima nec pro Deo.

13 Inquiramus ergo in regibus, quis eorum non grauat subditos suos propter superbiam suam, quis tenet statum suum iuxta redditus corone, quis restituit ea que corona detinet iniuste, quis est, qui exoccupet se ad faciendam iusticiam propter Deum. Utinam, filia, tales in mundo reges appearant, ut glorificetur Deus!

14 Inquiramus insuper in clero, quorum est diligere continenciam, paupertatem et deuocionem; et certe hii eciam a via recesserunt. Quid autem sunt clerici nisi pars et elemosinarii Dei, ut viuentes de oblacione Dei tanto essent humiliores et ad Deum feruenciores, quanta a curis mundi plus debent esse segregati? **15** Ideo et a tribulacione et paupertate primum surrexit Ecclesia, ut Deus esset hereditas eorum, et non in mundo

nec in carne sed in Deo gloriarentur. **16** Sed numquid, filia, non potuisset Deus elegisse reges et duces in apostolos, et tunc per eos hereditate terrena ditata fuisset Ecclesia? **17** Potuisset quidem, sed diues Deus venit in mundum pauper, ut terrena ostenderet transitoria esse, et ut homo exemplo Domini sui addisceret nec erubesceret paupertatem sed ad veras diuicias et celestes festinaret. **18** Ideo cum paupere piscatore inchoauit pulcherrimam dispositionem Ecclesie et posuit eum in locum suum, ut de sorte Domini non de hereditate viueret in hoc mundo.

19 Itaque a tribus bonis incepit Ecclesia. Primo a feroore fidei, secundo a paupertate, tercio ab effectu virtutum et miraculorum. **20** Hec quoque tria fuerunt in beato Petro apostolo, nam habuit ferorem fidei, quando libera voce Deum suum confessus est et pro eo mori non dubitauit. Habuit eciam paupertatem, quando circuiendo mendicabat et laborando manibus se pascebatur. **21** Verumptamen in spiritualibus erat diues, quod maius est, quando scilicet claudio dedit gressum (quod nullus principum potuit), cui, unde aurum et argentum daret, non habebat.

22 Sed numquid Petrus non obtinuisset aurum, qui suscitauit mortuos, si voluisse? Utique sed exonerauit se ab onere diuicularum, ut expeditus intraret celum et ut magister ouium humilitatis exemplum daret ouibus, quia humilitas et paupertas aut spiritualis aut corporalis ingressus est in celum.

23 Tercio fuit in eo effectus miraculorum, quia pretermisis alcioribus miraculis eciam ad umbram Petri infirmi sunt sanati. Ergo quia Petrus habuit secum perfectionem virtutum, que est contentari de necesariis, ideo lingua eius clavis celi facta est et nomen eius in benedictione est in celis et in terris. **24** Qui vero nomina sua vocauerunt in terris et stercora id est terrena dilexerunt neglecti sunt in terris sed in libro iusticie horribiliter sunt descripti.

25 Verumptamen Deus ostendere volens, quod nec paupertas Petri nec aliorum sanctorum coacta erat sed spontanea, ideo incitabat animos multorum ad largiendum eis. Sed ipsi plus in paupertate quam in sentibus diuicularum gloriabantur. **26** Propterea et quo plus habundabat in eis paupertas, tanto deuocio cumulancius augebatur. Et quid mirum? Qui enim partem suam et gaudium posuerunt Deum, quomodo poterat eis abesse Deus? **27** Qui vero delicias mundi appetebant, quomodo poterat eis dulcescere Deus? Ymmo peregrinus erat in oculis eorum. Processu vero temporis, ut amici Dei feroenciores et expediocores essent ad predicandum verbum Dei, **28** et ut sciretur, quod non diuicie male sunt sed abusus earum, ideo sub Siluestro et aliis bona temporalia Ecclesie data sunt, quas viri sancti longo tempore ad solam necessitatem suam et amicorum Dei et pauperum sustentacionem dispensabant.

29 Ergo tales scito amicos Dei, qui contentantur de disposicione Dei, qui et si tibi non sunt cogniti, Filius meus subtilius videt eos, quia in duro metallo multociens inuenitur aurum et de duro silice extrahitur scintilla ignis. **30** Vade igitur secura, quia prius clamandum est et postea faciendum, quia nec Filius meus in carne manens omnem simul Iudeam conuertit, nec apostoli simul et semel gentilitatem, sed tempora longiora habenda sunt ad perficiendum opus Dei.”

Verba sponse ad Christum magnificam misericordiam, quam Christus cum ea fecerat, manifestancia et verba Christi ad sponsam eandem misericordiam dulciter in sponsa confirmancia; et qualiter ipsam elegit

*in vas implendum vino et per ipsam Dei seruatoribus propinando; et de grata interrogacione et humili
sponte ad Christum. Capitulum LXXVII.*

1 "Honor sit omnipotenti Deo pro omnibus que creata sunt; laus sit ei pro omnibus suis virtutibus; decus et seruicium reddatur ei pro omni caritate sua. **2** Ego indigna persona, que a iuuentute mea multa contra te Deum meum deliqueram, regracior tibi, dulcissime Deus meus, et propter hoc maxime, quod nullus ita criminosus est, quod ei misericordiam tuam deneges, qui cum caritate et vera humilitate misericordiam a te postulat cum proposito emendandi.

3 O, carissime Deus et omnium dilectissime! Mirabile omnibus audientibus est illud, quod tu fecisti mecum. Nam quando placet tibi, tunc sopis corpus meum, non tamen cum sopore corporali sed quiete spirituali. **4** Animam autem meam tunc quasi a sompno excitas ad videndum et audiendum atque senciendum spiritualiter. O, Domine Deus, o, quam dulcia sunt oris tui verba! **5** Videtur vere michi, quociens verba Spiritus tui audio, quod anima mea in se illa degluciat cum quodam sentimento ineffabilis dulcedinis sicut suauissimum cibum, qui cadere videtur in cor corporis mei cum magno gaudio et ineffabili consolacione. **6** Mirabile tamen hoc esse videtur, quod dum verba tua audio tunc utrumque efficiet scilicet saciata et famelica. Propter hoc autem saciata, quia nichil tunc aliud michi libet nisi illa; propter hoc vero famelica, quia semper augetur appetitus meus ad illa. **7** Benedictus igitur sis tu, Deus meus Iesu Christe. Da ergo michi, Domine, auxilium tuum, ut omnibus diebus vite mee que tibi placita sunt perficere valeam!"

8 Christus autem respondit dicens: "Ego sum sine principio et sine fine, et omnia creata sunt ex potentia mea et ordinata ex mea sapiencia. Omnia eciam reguntur ex meo iudicio nichilque michi impossibile est, et vere omnia opera mea cum caritate disposita sunt. **9** Et ideo nimis durum est cor illud, quod non vult diligere me nec timere, cum sim utrumque scilicet omnium hominum nutritor et iudex. Dyaboli autem, qui licitor meus est et ipsorum hominum proditor, voluntatem faciunt.

10 Ipse denique tam pestiferum virus in mundo propinavit, quod viuere non potest anima illud delectabiliter preгustans sed mortua in infernum cadit in miseriis tamen eternaliter victura. Hoc autem virus peccatum est, quod licet multis dulciter sapit, in fine tamen horribiliter amarescit. **11** Hoc certissime venenum de manu Dyaboli bibitur cum delectacione omni hora, et quis talia audiuuit umquam aut maius mirum? Prebetur enim hominibus vita, et ipsi mortem eligunt et voluntarie amplectuntur.

12 Ego autem, qui sum potens super omnia, compacior eorum miserie et angustie magne. Ego enim feci sicut rex diues et caritatius, qui mittens familiaribus seruatoribus suis preciosum vinum diceret ita: 'Propinate vinum pluribus quam vobis solis, quoniam valde salubre est! **13** Hoc enim egris sanitatem reddit, mestis consolacionem et sanis hominibus cor virile. Vinum eciam non mittitur sine vase.' **14** Vere sic ego feci in hoc regno. Ego quidem seruatoribus meis misi verba mea, que vino optimo comparantur, et ipsi aliis ea dabunt, quoniam salubria sunt.

15 Per vas autem te intelligo, que verba mea audis. Nam tu utrumque fecisti, quia verba audisti et protulisti, quia tu es vas meum proprium, quod implebo, dum voluero, et ex eo, quod michi placuerit, exhaustio. **16** Et ideo Spiritus meus monstrabit tibi, quo pergere debeas et quid loquaris. Et neminem timeas nisi me sed gaudenter, quocumque voluero, debes pergere et intrepida dicere, quod tibi mandauero, quoniam michi nichil potest resistere et ego tecum volo manere."

17 Deinde loquebatur sponsa: "Ego," inquit, "que audiui hanc vocem cum lacrimis respondi sic: O, mi domine Deus, ego, que sum quasi minima culex in potestate tua, rogo, ut des michi licenciam respondere tibi." **18** Vox respondit dicens: "Ego responsionem tuam prius noui, quam tu eam cogitasti. Verumtamen do tibi loquendi licenciam."

19 Tunc inquit sponsa: "Ego respondi: Quare tu, o, omnis glorie rex et omnis sapiencie infusor atque omnium virtutum operator et ipsa virtus, ad tale officium me vis assumere, que corpus in peccatis consumpsoram, que quo ad sapienciam sum similis asino et ad virtutum operationem defectuosa? **20** Noli michi, dulcissime Deus Iesu Christe, propter hoc irasci, quod sic te interrogau. Nichil enim mirandum est de te, quoniam facere potes quidquid volueris; de me autem totaliter miror, quoniam in multis te offendit et parum emendaui."

21 Vox quoque respondit dicens: "Ego per similitudinem tibi respondeo. Si regi diuiri et potenti diuerse monete presentarentur, quas postea rex conflari faceret et quidquid sibi placeret ex eis fabricari, **22** utputa coronas et anulos de moneta aurea, scutellas et vasa bibitoria de moneta argentea, lebetes et sartagini de moneta cuprea, hiis quoque rex uteretur ad suum commodum et honorem, unde, cum non mirareris, quod ipse sic facheret, **23** ideo non magis tibi mirandum sit, quod ego amicorum meorum corda per ipsos michi presentata libens accipio de eis, quod michi placet, faciendo. **24** Et quamvis aliqui maiorem sensum habeant, aliqui autem minorem, tamen dum ipsi corda sua michi presentant, tunc aliquibus utor ad unum, aliquibus ad aliud, omnibus autem ad meam gloriam et honorem, quoniam cor iusti est moneta michi summe placens.

25 Et ideo ea que mea sunt ordinare possum, sicut volo. Et cum tu mea sis, mirari non habes de hiis que tecum facere voluero, sed constans et stabilis esto ad sustinendum et voluntaria ad faciendum, quidquid tibi precepero. In omnibus enim locis sum potens omnia tibi dare necessaria."

*Verba sponse diuinitus reuelata, ymmo ab ore dulcissimo Virginis gloriose, clare et absque antipendio
sponse directa et promulgata, ipsamque monendo et confortando, quatenus talia verba omnino vicario
domini Pape deberet transmittere; in quibus verbis Ecclesie ruina minatur. Capitulum LXXVIII.*

1 Vestre honorande paternitati ego vidua quedam significo, quod mulieri cuidam in sua patria existenti multa valde miraculosa sunt reuelata, **2** que diligent examine episcoporum ac magistrorum clastralium ac secularium clericorum probata sunt ex pia et mirifica Spiritus sancti illustracione et non aliunde processisse, quod eciam illius regni rex et regina nouerunt probabili ratione. **3** Eadem itaque mulier ad urbem Rome peregre profecta est; que die quadam in ecclesia maiori beate Virginis oracioni vacans in spiritualem visionem rapta est corpore tamquam in grauedinem ducto sed non tamen in sompni grauedinem.

4 In illa denique hora apparuit ei quedam reuerendissima virgo. Mulier autem predicta admiracione visionis turbata, fragilitatem suam recognoscens Dyaboli timebat fraudulenciam diuine pietati intime supplicants, ne permitteret eam in dyabolica cadere temptamenta. **5** Virgo igitur, que ei apparet, ait: "Ne timeas ea, que nunc videris seu audieris, a spiritu maligno fore existimans. Quemadmodum enim cum solis appropinquacione duo veniunt, lux videlicet et calor, hec autem caliginosam umbram non sequuntur, **6** simili modo cum sancti Spiritus aduentu in cor hominis hec duo veniunt, ardor videlicet diuine caritatis ac

catholice fidei perfecta illuminacio. **7** Hec autem duo in te ipsa nunc sentis ita, quod nichil diligis sicut Deum et in catholice fidei integritate tibi non deficit unus punctus. Sed hec duo malignum spiritum, qui umbre caliginose comparatur, non sequuntur.”

8 Deinde eadem virgo subiunxit dicens eidem mulieri: ”Tu debes verba mea mittere tali prelato ex parte mea.” Cui cum magno merore mulier respondit dicens: ”O, mea reuerenda virgo, non credet michi sed magis, sicut existimo, habebit verba pro derisu quam pro diuina veritate.” **9** Cui virgo respondit dicens: ”Quamuis ego cordis eius dispositionem ac responsionis prolacionem sueque vite terminacionem nunc bene nouerim, nichilominus tamen verba mea illi mittere debes.

10 Ego quidem illi notum facio, quod in parte dextera sancte Ecclesie fundamentum vehementer dilapsum est in tantum, quod summa testudo plures in se rupturas habet dans ex se casus tam periculosos, quod multi de subeuntibus perdunt vitam. **11** Plereque eius columpne, que in altum tendere deberent, usque ad terram se iam inclinant, totumque pauimentum ipsius tam fossum est, quod ceci introeuntes periculose cadunt, et adhuc interdum contingit clare videntes una cum cecis grauiter cadere causa periculosarum fossarum eiusdem pauimenti. **12** Et propter has causas stat nimis periculose ecclesia Dei. Et quid sibi ex hoc eueniet, statim propinquius esse dinoscitur. Nam ruinam certissime pacietur, nisi reparacionis iuuamen habuerit. Et ipsius ruina tam grandis erit, quod per totam Christianitatem audietur; et hec debent spiritualiter intelligi.

13 Ego autem illa virgo sum, in cuius uterum Dei Filius venire dignatus est cum deitate et Spiritu sancto exclusa quacumque contagiosa corporis delectacione. **14** Et ille idem Dei Filius de meo clauso utero natus est cum deitate et humanitate et Spiritu sancto cum maxima consolacione mei et sine pena. Ego eciam iuxta crucem steti, quando ipse cum vera pacientia infernum victorioso deuincebat ac sui cordis sanguine celum aperiebat. **15** Ego quippe in monte eram, dum idem Dei Filius, qui quidem est meus Filius, ad celos ascendebat. Ego denique totam catholicam fidem clarissime noui, quam ipse euangelizando omnes celeste regnum ingredi volentes edocuit. **16** Ego itaque iam sto super mundum cum oracione mea assidue ad meum carissimum Filium sicut arcus super nubes celi, qui ad terram inclinari videtur et ambobus finibus suis eam tangere.

17 Per arcum enim me ipsam intelligo, nam ad habitatores mundi me inclino scilicet tangendo utrosque bonos et malos continua oracione mea. Ad bonos namque me inclino, ut ipsi in hiis, que sancta mater Ecclesia precipit, stabiles efficiantur; ad malos vero, ne in malicia sua habeant processum, ut deteriores fiant. **18** Illi igitur cui hec verba mitto notum facio, quod ex una parte tetra ac horribiles nubes surgunt contra arcus claritatem; per quod illos intelligo, qui in carne sua vitam meretricalem habent et sunt insaciabiles ac sine fundo sicut vorago maris ad cupiditatem pecunie. **19** Bona quoque irracionabiliter ac prodigaliter, sicut torrens in impetu suo aquam suam effundit, pro terrena pompa et superbìa largiuntur. **20** Hec itaque tria nunc exercent sancte Ecclesie plerique prouisores, quorum peccata in celum ascendunt abhominabilia ac tetra ante conspectum Dei contra meam oracionem sicut teterreme nubes contra clarum arcum celi. **21** Et sic hii, qui una mecum Deum placare deberent, ipsi iram eius contra se ipsos grauissime excitant. Et tales in sancta Ecclesia exaltari non deberent sed deprimi.

22 Quicumque igitur curam apponere voluerit, ut Ecclesie fundamentum stabile fiat ac pauimentum planum renouare cupiens vineam illam benedictam, quam ipse Deus plantauit ac sanguine suo irrigauit, si se ad hoc modicum seu insufficientem esse crediderit, **23** ego regina celi cum omnium angelorum cetibus sibi in adiutorium venire volo, zabulosas radices extirpando et steriles arbores ad comburendum in ignem eiciendo

ac in earum locis plantando ramulos fructuosos. **24** Per vineam autem intelligo sanctam Dei Ecclesiam, in qua duo videlicet humilitas et diuina caritas renouari deberent.”

25 Hec omnia vero illa gloriosa virgo, que mulieri apparuit, mitti precepit vobis in scriptis, unde nouerit vestra reuerenda paternitas, quod ego, que hanc litteram vobis misi, iuro per Iesum verum et omnipotentem Deum et per eius dignissimam Matrem Mariam **26** volens, ut ita me adiuuent ad utrumque scilicet ad corpus et animam, sicut hanc litteram propter aliquem mundi honorem seu propter cupiditatem aut propter humanum fauorem non misi, **27** sed quoniam inter plura alia verba, que eidem mulieri in spirituali reuelacione dicta sunt, omnia que hec cartula in se continet iussa sunt vestre dignitati intimari.

*Prohemium notabile informacionis utilis viuendi facte a Christi sponsa ad quendam clericum sibi deuotum,
in quo multa bona continentur. Capitulum LXXIX.*

1 Laus et gloria sit omnipotenti Deo pro omnibus suis operibus. Sit et ipsi honor perpetuus, quia tecum inchoauit graciā facere. **2** Nos videmus, quod, dum terra cooperta fuerit niue et frigore, quecumque semina in eam sparsa fuerunt, certum est, quod germinare non possunt nisi in locis paucissimis, que ex radiis solaribus calefiunt, ubi ex beneficio solis grama et flosculi oriuntur; **3** ex quibus cognosci poterit, cuius generis sint aut cuius virtutis.

4 Vere simili modo totus mundus michi videtur superbie et cupiditatis atque luxurie frigore tam duriter iam coopertus existere, quod heu paucissimi sunt, quorum verbis atque operibus intelligi possit Dei perfecta caritas in ipsorum cordibus habitare. **5** Unde sciendum est, quod sicut Dei amici inde gausi sunt, quod Lazarum a morte resuscitatum viderunt ad Dei gloriam, ita et nunc Dei amici gaudere possunt, quando aliquem resurgere viderint a predictis tribus viciis, que sunt verissime mors eterna.

6 Item notandum est, quod sicut Lazarus resuscitatus post resurrectionem suam duplex odium incurrit, – nam quosdam hostes corporales habebat scilicet homines qui erant inimici Dei et hii Lazarum corporaliter oderunt, quosdam eciam habebat hostes spirituales scilicet demones, qui numquam desiderant amici Dei fieri et illi eum oderunt spiritualiter –, **7** ita eciam quicumque nunc a viciis mortalibus resurrexerint, seruare volentes castitatem et fugere superbiam et cupiditatem duplex odium incurront.

8 Nam duplicit homines qui Dei inimici sunt eis nocere volunt corporaliter, et dyaboli eciam duplicit modo eos dampnare seu nocere conantur spiritualiter. **9** Primo namque homines mundani verbis suis vituperant eos. Secundo eciam, si possunt, libenter eos operibus suis molestant, ut sic eos sibi in vita et actibus similes faciant retrahendo eos a bonis inceptis. **10** Sed homo Dei sic nouiter conuersus ad vitam spiritualem istos malignos homines optime vincere potest, si contra verba sibi contraria pacienciam habuerit et si tunc frequencius et feruencius opera bona spiritualia et diuina ipsis videntibus exercuerit.

11 Demones eciam aliis duobus modis ipsum decipere nituntur. Primo, quod summe desiderant, ut ipsum nouum seruum Dei reciduum faciant ad peccata. **12** Quod si hoc nequierint, tunc ipsi demones ad hoc sollicite laborant, ut irrationabiliter et indiscrete ille sua bona opera perficiat scilicet in vigilando vel abstinentias indiscretas ultra debitum modum indiscrete faciendo, ut sic eius vires cicius euacentur et in diuinis laboribus sit infirmior.

13 Contra primum est optimum remedium ipsa frequens et pura suorum peccatorum confessio et pro delictis vera cordis interna contricio. Contra secundum optimum remedium est talis humiliatio, videlicet ut magis velit alicui seniori spirituali obedire quam se personaliter regere in suis operibus et penitencias faciendis. **14** Et vere hec medicina est valde proficua et optima in tantum, quod eciam si adhuc indignior esset dator consilii quam acceptor, et tunc certissime sperandum est, **15** quod ipsa diuina sapiencia, que Deus est, per suum adiutorium cooperabitur datori consilii ad illa conferenda consilia, que utilissima fierent acceptori, si ambo ad Dei honorem et gloriam perfectam voluntatem habuerint.

16 Nunc igitur, amice dilekte, quoniam ambo scilicet tu et ego de peccatis surreximus, deprecemur Deum, ut nobis ambobus diuinum adiutorium donare dignetur michi in dicendo et tibi in obediendo. **17** Et tanto magis super hoc Deus rogandus est ex eo, quod vos, qui estis diues, sapiens et nobilis, dignatus fuistis me indignam et modicum intelligentem atque ignotam consulere. Et vere spero, quod Deus vestram humilitatem velit respicere et ad corpus et animam vobis utile facere, quod ad suum honorem vobis scribo.

Informacio discreta et utilis ad quendam clericum de modo viuendi tam spiritualiter quam corporaliter a Christi sponsa edita, sibi a Deo inspirata. Capitulum LXXX.

1 Primo igitur vobis consulto, ut maneatis in hospicio vestro prope ecclesiam vestram sancte Marie Virginis, unum famulum tantum tecum habeas et totum illud, quod deductis necessariis expensis de tuis redditibus superfuerit, statim reddas tuis creditoribus eisdem de debitis plenarie satisfaciendo, **2** quoniam non est licitum nec racionabile multas pecunias dare pauperibus seu diuitibus amicis et parentibus, priusquam omnia debita plene fuerint persoluta. **3** Et quando debita tua totaliter persoluta fuerint, tunc omnia que tibi et famulo tuo deductis expensis superfuerint ad Dei honorem distribue pauperibus et indigentibus.

4 Clericalem habeas habitum honestum et utile diligenter attendendo, ne in qualitate panni seu in forma vestimentorum tuorum aliqua pompa seu vanitas notari possit sed sola honesta necessitas et utilitas corporalis. **5** Duobus enim paribus vestimentorum tantummodo sis contentus: unum scilicet pro diebus festiuis et alterum pro reliquis diebus cotidianis, nec eciam plura quam duo paria caligarum seu calceorum habeas. **6** Et quidquid de tuis vestibus superest commutes in alios tuos usus aut in solucionem tuorum debitorum. Vestimenta linea omnino deponas tam noctibus quam diebus per hunc annum.

7 Ecclesiam tuam scilicet beate Marie per hunc annum habeas pro ecclesia claustralii propter tria. Primo pro eo, scilicet quod si forte prius in ea umquam stetisti propter aliquam superbiam, sic de cetero in ea resideas in honorem humillime Virginis Marie pro diuina obediencia. **8** Et si forte per canonicos et beneficiatos illius ecclesie a seruicio Dei in honestis verbis trahebaris ad malam concupiscenciam, sic conare modo per Dei adiutorium diuinis et spiritualibus verbis tu aliquem a mala concupiscencia trahere ad delectacionem amoris Dei. **9** Et si forte aliquibus te videntibus per aliquos tuos illicitos mores malum exemplum dedisti, sic amodo cures per bona opera tua et honestos mores tuos animabus ipsorum proficuum et virtuosum dare exemplum.

10 Deinde, amice dilekte, oportet, quod nocturna tempora et diurna ad Dei laudem racionabiliter ordines et discrete. Ego enim attendi, quod campane vestre ecclesie satis statutis temporibus pulsantur. **11** Et ideo consulto, ut statim, cum ipsas de nocte audieris, a loco tuo surgas et cum quinque genuflexionibus et

quinque vicibus Pater noster et Ave Maria recorderis quinque vulnerum Iesu Christi et dolorum sue dignissime Matris. **12** Post hec autem incipias matutinum de beata Virgine et alias deuociones tibi placitas dicas, donec conueniant canonici in choro ad psallendum. Et melius est, quod tu cum primis ad ecclesiam venias quam cum ultimis. **13** Deuote igitur cantando matutinum de tempore et honeste usque ad finem stare debes et interdum sedere, sicut decens est, sed minime loquendo, nisi aliquid a te interrogatum fuerit, **14** et tunc cum paucissimis verbis respondeas et non clamorosis excluso quolibet iracundie atque impaciencie signo, si fieri poterit. **15** Multum enim te ordinares honeste, si es in presencia alicuius domini temporalis et terreni, et idcirco multo magis debes cum omni honestate et modestia et humili reuerencia interna et eciam exteriori stare in presencia et seruicio eterni Regis celorum semper et ubique presentis et omnia videntis. **16** Et si forte necessitate compulsus fueris super magnis rebus te aut aliud tangentibus ad loquendum in ipsis mediis horis, tunc de choro exeras et quod tibi videtur paucis verbis extra chorum sine clamore respondeas sine mora in tuum stallum redeundo. **17** Et si poteris, ordina, ut illud negocium ad expediendum in alio loco et tempore suspendatur, ne cultus diuinus et honor Dei diminuatur et impediatur. **18** Caeu eciam, ne vadas gyrouagando per ecclesiam quasi spaciando huc et illuc ambulando, dum cantantur hore. Hoc enim est inconstantis et gyrouagantis animi et tepidi spiritus et modice caritatis et deuacionis.

19 Tempore autem interualli, scilicet inter horas, tunc ora vel lege aliqua utilia anime et deuota vel aliis proficua hoc iugiter obseruando, **20** quod ab hora, qua surgis a loco tuo ad matutinum, nullis te libenter operibus implices nisi cantui, lecture, oracioni vel studio, donec summa missa fuerit finita, nisi forte in capitulo vestro inter vos de aliquibus sit tractandum super rebus ecclesie seu meliori statu et ordinacione faciendum. **21** Deinde celebrata summa missa de corporalibus utilitatibus et commodis atque honestis consolacionibus virtuosis loqui et confabulari bene conuenit.

22 Quando autem intratis ad mensam, legantur benediciones mense. Et siue tu fueris hospes alterius siue tu hospites habueris, incipias inter ferculas primum in mensa loqui de Deo vel de sua dignissima Matre aut de aliquo sancto **23** pro edificacione et utilitate commensalium et eciam seruitorum mense ad minus unum verbum vel duo, aut eciam aliqua de Deo vel de sua Matre aut de sanctis Dei ab aliis interroga. **24** Et adhuc, dum solus fueris in mensa astante tuo famulo, similiter facias et hoc habeas pro leccione, que conuescentibus fratribus in monasteriis solet legi. **25** Facta autem comedione et graciis Deo redditis et benefactoribus et tunc de rebus seu negotiis te tangentibus, cum quibuscumque personis honestis tibi placet, per aliquam breuem horam loquere.

26 Et postea statim ingredere cubiculum tuum et flexis quinques tuis genibus legas quinques Pater Noster et quinque vicibus Ave Maria propter vulnera Domini nostri Iesu Christi et propter dolores sue Matris. **27** Deinde medietatem temporis, quod est usque ad vesperas, ad studendum aut legendum atque ad quiescendum aliquantulum habeas, nisi forsitan ab amicis tuis propter aliqua eos tangencia fueris impeditus, **28** et aliam medietatem temporis predicti ad spaciandum habeas pro consolacione honesta corporali, ut forcior efficiaris ad laudem Dei.

29 Deinde, cum pulsatur ad vesperas, statim ad officium decantandum ac chorum ecclesie intres ita te habendo in choro, sicut prius supradictum est, et dicto completorio omni die pro mortuis vigiliis legas cum tribus lectionibus ante cenas. **30** Facta autem cena exercitare in talibus moribus, sicut dictum est de prandio. Post gracias vero ad spaciandum vadas loquendo utilia et consolatoria verba, donec dormitum ire volueris. **31** Et tunc eciam, antequam ad lectum vadas, pone te ante lectum tuum et ibi deuote dices quinque vicibus Pater Noster et quinque Ave Maria pro passione Iesu Christi et postea intra lectum tuum et

corpori tuum de sompno et quiete tantum tribue, quod non urgearis vigilie temporibus propter quietis et sompni breuitatem dormitare.

32 Omni autem sexta feria legas deuote septem psalmos cum letania et illa die tribue quinque denarios quinque pauperibus indigentibus pro reuerencia quinque vulnerum Iesu Christi.

33 Preterea, frater et amice dilectissime, consulo tibi, ut infrascriptam abstinentiam habere velis per hunc annum pro peccatis propriis. **34** Primo totam quadragesimam ieiunes omni die ad unam comedionem in piscibus et similiter in aduentu Domini, omnes vigilias beate Marie in pane et aqua, vigilias apostolorum in piscibus, omnes quartas ferias ad unam comedionem in caseo et ouis et piscibus, **35** omni sexta feria in pane et vino tantum – et si forte magis libuerit aquam quam vinum cum pane habere, hoc tibi non dissuadeo –, omni die sabbati in piscibus et oleo ad unum prandium. **36** Dominico autem die et die Lune et Martis et die Iouis bis in die comedere de carnis, dum tamen ab Ecclesia non precipiatur ieiunare.

37 Nota, frater dilekte, quod propter tria hec omnia tibi scribere et consulere decreui. Primo, ut inuidia Dyaboli et eius astucia te ad hoc non traheret, quod te ipsum ita subito totum consumeres, quod sensus tui atque vires cito deficerent, et postea tota vita tua Deo minus seruires, quam oporteret. **38** Secundo, quod si mundani homines in tuis sensibus aut viribus ex nimio labore defectum aliquem in te notauerint aut eciam in laboribus inceptis te attediari conspexerint, abhorrerent et pertimescerent diuinis laboribus se subicere. **39** Tercio, quia spero opera tua ex eo magis Deo placere, quia pocius eligis alterius consilio humiliter acquiescere quam te ipsum personaliter tuo proprio iudicio regere.

Responsio, ut credo, Virginis ad sponsam de tribus hominibus, pro quibus sponsa ad Deum intercedebat; et que sunt lacrime meritorie et que non; et qualiter caritas Dei augmentatur ob meditacionem Christi humilitatis; et quomodo timor quamvis non filialis nec inicialis sit bonus. Capitulum LXXXI.

1 Ille homo est quasi saccus plenus aristis, de quo si una arista auferretur, apponenterur in eo decem. Talis est ille homo pro quo rogas, quia ipse dimittit unum peccatum ex timore sed addit decem propter honorem mundi. **2** De altero vero homine pro quo postulas, respondeo tibi, quod non est consuetudo putridis carnis preciosa salsa mentem apponere. Rogas quippe dari sibi corporales tribulaciones propter utilitatem anime sue, sed voluntas sua contraria est peticioni tue. **3** Ipse quippe appetit honores mundi magisque desiderat diuicias quam spiritualem paupertatem et voluptas est ei dulcis. Propter quod anima eius est putrida et fetens coram me; et ideo non pertinent ei salsa mentem preciosa, que sunt iusticie tribulaciones. **4** De tercio quoque homine, in cuius oculis vides lacrimas, respondeo eciam tibi, quia tu vides corpus et ego intueor cor. **5** Sicut enim tu vides, quod aliquando tenebrosa nubes procedit de terra et trahit se in celum subtus solem, et ista nubes producit de se triplicem humorem scilicet pluvium, niuem latam et grandinem – postea vero euanescit nubes, quia de immundicia terre orta erat –, **6** sic tali nubi comparatur omnis homo, qui in peccato et voluptate nutritus est usque ad senium. Veniente autem senio incipit timere mortem et cogitare periculum suum sed tamen in animo est ei delectabile peccatum.

7 Ergo sicut nubes trahit de se immundicia terre in celum, sic conscientia talis hominis trahit se de immundicia corporis id est peccati ad consideracionem sui et dat de se triples lacrimas. **8** Prime comparantur aque; que sunt pro hiis, que carnaliter diligit homo, utputa si amittit amicos et bona temporalia vel salutem suam, et quia tunc amaricatur de Dei disposicione et permissione, ideo effundit multas lacrimas

indiscrete. **9** Secunde lacrime comparantur niui, quia quando homo incipit cogitare pericula corporis sui imminencia penamque mortis et inferni miserias, tunc incipit plorare non ex caritate sed ex timore. Et ideo, sicut nix cito dissoluitur, sic eciam cito tales lacrime dissoluuntur. **10** Tercie lacrime assimilantur grandini, quia quando homo cogitat, quam dulcis est et fuerat sibi voluptas carnalis et quod amissurus est eam quanta eciam consolacio est in celis, **11** incipit plorare dispendium dampnacionis et amissionis sue non curans plorare de inhonoracione Dei, si Deus amitteret animam, quam redemit sanguine suo, nec curans, utrum Deum videret post mortem an non, dummodo unam mansionem obtineret in celo vel in terra, ubi non sentiret penam sed haberet eternaliter suam voluptatem. **12** Ideo tales lacrime bene similantur grandini, quia cor talis hominis nimis durum est et nullum calorem caritatis habet ad Deum. Ideo nec tales lacrime trahunt animam in celum.

13 Sed nunc ostendere tibi volo lacrimas, que trahunt animam in celum; que similantur rori. Nam aliquando vapor quidam procedit de dulcedine terre et ascensit in celum trahens se subtus solem; **14** qui de calore solis factus humidus iterum descendit in terram et omnia terre nascencia fructifera facit; et istud vocatur vobiscum ros, sicut patet in foliis rosarum, que apposita ad calorem primum dant ex se humorem et postea descendit humor.

15 Sic est et de viro spirituali. Omnis quippe, qui cogitat terram illam benedictam, que est corpus Christi, et verba illa, que Christus ore proprio loquebatur, **16** qualemque graciā fecit in mundo et quam amaram penam pertulit commotus amoris ardore pro animabus nostris, tunc caritas, quam habet ad Deum, cum magna dulcedine vadit in cerebrum, quod similatur celo. **17** Cor quoque eius, quod comparatur soli, impletur diuino calore oculique eius impletur lacrimis, plorans se offendisse tam infinite bonum et benignum Deum magisque iam volens omnem penam pati ad honorem Dei quam omnia delectamenta habere et carere Deo.

18 Itaque iste lacrime bene comparantur rori cadenti, quia tribuunt virtutem faciendi bona opera et fructificant in conspectu Dei. Et sicut flores crescentes trahunt in se rorem cadentem, et flos includitur in rore, sic eciam lacrime, que ex diuina caritate funduntur, claudunt Deum in anima et Deus animam in se trahit.

19 Verumptamen bonum est timere propter duo. Primo, quia tanta possent esse bona opera facta ex timore, quod trahunt postea aliquam scintillam gracie in cor ad obtainendam caritatem, sicut per similitudinem intelligere poteris, **20** quasi esset unus aurifaber imponens aurum stateris mundum, ad quem veniens carbonarius dixit: 'Domine, carbones ad opus tuum habeo. Da michi precium, quantum valent!' **21** Respondit ille: 'Carbones taxati sunt, quantum valeant.' Et dato auro illi pro precio aurifaber disposuit carbones ad opus suum, aurum vero ille ad victimum suum.

22 Sic est enim in spiritualibus. Nam opera facta sine caritate similantur carbonibus, caritas vero auro. Ideo omnis, qui facit opera bona ex timore habens tamen desiderium acquirendi sibi salutem anime cum eis, **23** iste, licet non desideret Deum in celis sed timet hospitari in inferno, nichilominus habet opera bona sed frigida et apparent quasi carbones in conspectu Dei. **24** Deus vero comparatur aurifabro: qui scit in spirituali iusticia, quibus modis bona opera remuneranda sunt vel quali iusticia caritas Dei acquiratur. **25** Ipse eciam in prouidencia sua sic ordinat, quod propter bona opera ex timore facta homini datur caritas, quam homo postea disponit ad salutem anime sue. **26** Ergo sicut caritatius aurifaber utitur carbonibus ad opus suum, sic Deus frigidis operibus utitur ad honorem suum.

27 Secundo bonum est timere, quia quot peccata homo dimittit ex timore, a tot peccati penis liberabitur in inferno. Attamen quia caritatem non habuit, ideo nec iusticiam habet ad ascendendum in celum. **28** Nam cuius voluntas talis est, quod, si posset, vellet eternaliter viuere in mundo, in eius corde caritas Dei nequaquam est et facta Dei quasi ceca sunt ante ipsum. Ideo mortaliter peccat et iudicabitur in infernum. **29** Attamen ardere non tenetur in penis sed sedere in tenebris, quia omisit peccatum ex timore, sed non senciet gaudium celi, quia non desiderabat illud, quamdiu vixit. **30** Propterea sedebit sicut cecus et mutus et sicut homo sine manibus et pedibus, quia eius anima intelligit malum inferni et modicum de gaudio, quod est in celo.”

Declaracio.

31 Hec reuelacio est de tribus militus. Primus fuit de Scania, de quo facta est reuelacio talis: Domina Birgitta vidit animam vestitam quasiocco bis tincto sed guttis paucis quasi nigris respersam, et cum vidisset eam, statim euanuit a conspectu eius. **32** Iterum post tres dies vidi eandem animam totam rubeam sed quibusdam gemmis quasi aureis interlucentibus effulgentem. Cumque miraretur domina ad hec, dixit Spiritus Dei: **33** ”Hec,” inquit, ”anima detenta fuit curis mundi; sed habens fidem veram venit ad indulgencias Rome ea intencione, ut obtineret caritatem et diuinam dilectionem et voluntatem amplius scienter non peccandi. **34** Ideo quia vidisti animam vestitamocco bis tincto significat, quod ante mortem corporis obtinuit diuinam dilectionem, licet imperfectam. **35** Quod vero vidisti eam respersam guttis nigris significat, quod ipsa quadam affeccione carnali mouebatur ad parentes carnales et videre patriam suam. Attamen omnem voluntatem suam commisit michi. Ideo meruit purgari et ad sublimiora preparari. **36** Quod vero vidisti interlucentes gemmas in rubeo colore significat, quod propter bonam voluntatem et effectum indulgenciarum istarum appropinquabat corone desiderate.

37 Vide ergo, filia, et considera, que bona faciunt indulgencie huius urbis hominibus illis, qui veniunt intencione sancta huc propter eas. **38** Nam si donarentur alicui mille milia annorum, sicut et donantur propter fidem et deuocionem venientium, adhuc non esset digna ponderacio ad obtinendam diuinam caritatem sine gratia Dei. **39** Que quidem caritas veraciter donatur et promeretur propter indulgencias istas, quas sancti mei promeruerunt sanguine suo.”

40 De secundo milite in eadem reuelacione (hic fuit de Hallandia) Filius Dei loquitur: ”Quid tibi dixit ille magniloquus et flabellum ventorum? Nonne quod multi dubitant de sudario meo, utrum verum sit an non? **41** Dic ergo ei constanter quatuor, que dico. Primum est, quod multi thesaurizant et nesciunt quibus. Secundum est, quod omnis, qui talentum Domini commissum non expendit hylariter sed custodit inutiliter, incurrit iudicium. **42** Tercium est, quod ille qui plus diligit terram et carnem quam Deum non erit in consorcio eorum, qui esuriunt et siciunt iusticiam. Quartum est, quod omnis, qui clamantes non exaudit, clamabit ipse et non exaudietur. **43** De sudario meo sciat, quod sicut sudor sanguinis mei de corpore meo fluxit imminente passione mea, quando rogaui Patrem, sic iste sudor exiuit de facie mea propter qualitatem rogantis me ad consolucionem futurorum.”

44 Tercius miles eiusdem reuelacionis fuit de Swecia, de quo est ista reuelacio. Filius Dei loquitur: ”Scriptum est, quod vir saluator per fidem mulierem. Sic uxor huius viri cucurrit et rapuit virum suum de fauibus Dyaboli ambabus manibus. **45** Nam una manu eripuit eum de Dyabolo, lacrimis scilicet et oracionibus et operibus caritatis. Alia manu eripuit eum ammonicionibus suis et exemplo et informacione ita, quod iam appropinquat vie salutis. **46** Propterea sunt ei tria consideranda, que scribuntur in lege vulgari. In illa enim sunt tria membra: unum, quod intitulatur possidere, aliud vocatur vendere, tertium est

emere. **47** In primo membro, quod est possidere, dicitur, quod nichil iuste possidetur, nisi quod iuste acquiritur. Quidquid enim acquiritur per subdolas adinuenciones, per occasiones malicie, per minora precia, talis acquisicio non est Deo grata. **48** Secundum membrum vocatur vendere. Quandoque aliqua res venditur propter inopiam et timorem, quandoque propter violenciam et iudicia iniusta. Talis conscientia est scrutanda, si compassio et caritas est in mente. **49** Tercium membrum vocatur emere. Qui enim aliquam rem emere voluerit, scrutari debet, si res illa, qua aliquid emitur, iuste quesita est. Nam in lege non fuit acceptum, quidquid iniqua exaccione fuit acquisitum. **50** Ideo iste ista tria predicta scrutetur diligenter in animo suo et sciat pro certissimo, quod redditurus est michi rationem de omnibus et eciā de hiis, que parentes sui reliquerunt sibi, si ea plus propter mundum et ultra debitam utilitatem expenderit quam propter Deum. **51** Iste eciā sciat, quod redditurus est michi rationem de milicia sua, qua intencione eam receperit et quomodo eam tenuerit et quomodo votum suum, quod michi voulit, adimpleuit.”

Christus loquens sponse dicit ei, quod anima deuota debet habere sicut sponsa os delectabile, aures mundas, oculos pudicos et cor stabile, exponens omnia dicta membra spiritualiter valde pulchre.

Capitulum LXXXII.

1 Filius loquitur: ”Tu debes habere sicut sponsa os delectabile, aures mundas, oculos pudicos et cor stabile. Sic et anima debet esse disposita. Eius enim os est mens munda, ut ibi nichil intret, nisi quod michi placet. Sit quoque os, id est mens, delectabilis ex odore bone cogitationis ex sedula memoria mee passionis. **2** Sit eciā mens sicut os rubicunda, id est feruens diuina caritate, ut que intelligit operetur. Nam sicut os pallidum nullus osculari desiderat, sic nec anima, nisi faciat bona opera ex bona voluntate sola, nequaquam michi placet. **3** Mens eciā sicut os habere debet duo labia, id est duas affecciones: unam, qua desideret celestia, aliam, qua contempnat omnia terrena. Palatum vero anime inferius debet esse timor mortis, qua separatur anima a corpore. Et qualis tunc teneretur esse constituta? Palatum autem superius sit tremor iudicii terribilis.

4 Inter hec duo lingua anime versari debet. Que vero est lingua anime nisi frequens consideracio misericordie mee? Ergo, quando consideras misericordiam meam, quomodo te creauit et redemi, quomodo te pacior, cogita eciā, quam districtus iudex sim, qui nichil dimitto impunitum, et cogita, quam incerta est hora mortis. **5** Oculi anime sint simplices sicut columbe, que iuxta aquas circumspicit accipitrem; id est cogitacio tua semper sit circa caritatem et passionem meam et circa opera et verba electorum meorum, in quibus intelliges, quomodo te Dyabolus decipere poterit, ut numquam de te sis secura. **6** Aures tue sint mundae, ut scilicet non affectes audire scurrilia vel risu digna. Cor vero sit stabile, ut non timeas mortem seruando fidem, non erubescas de obprobrio mundi, non turberis de dampno corporali propter me, Deum tuum.”

Christus loquens sponse dicit ei, quod ipsa debet diligere eum sicut seruus bonus dominum suum, sicut filius bonus patrem et sicut uxor fidelis maritum suum, que numquam ab eo debet separari; et exponit omnia spiritualiter et utiliter. Capitulum LXXXIII.

1 Filius loquitur: "Ego diligo te sicut dominus bonus seruum suum et sicut pater filium et sicut vir uxorem. Dominus enim dicit seruo: 'Dabo tibi vestes, victum congruum et laborem moderatum.' **2** Ad filium autem dicit pater: 'Omnia mea tua sunt.' Uxori vero dicit vir: 'Requies mea requies tua et consolacio mea consolacio tua est.'

3 Quid igitur isti tres respondebunt pro tanta dilectione? Utique seruus, si bonus est, dicturus est domino: 'Quia seruus sum condicoris, magis tibi seruam quam alteri.' **4** Filius vero dicturus est patri: 'Quia omne bonum habeo a te, ideo a te separari nolo.' Uxor autem dicet marito: 'Quia de labore tuo sustentor, calorem de pectore tuo habeo et dulcedinem in verbis, ideo magis mori volo quam a te separari.'

5 Ego autem Deus sum vir iste. Anima vero est sponsa mea, que consolari debet in requie mea, refici cibo deitatis mee, ad quam pertinet omnia tormenta magis sustinere quam se a me separare, quia sine me nec habet consolacionem nec honorem. **6** Sed ad coniugium duo pertinent: primo bona, unde sustententur coniuges, secundo filius, qui recipiat eorum hereditatem, seruus vero sit ad obsequium faciendum, sicut legitur de Abraam, qui ex eo, quod non habebat filium, turbabatur.

7 Itaque anima tunc habet bona sustentacionis, quando virtutibus plena est. Habet etiam filium, quando habet rationem discretionis, scilicet discernendi virtutes a viciis, et quando discernit secundum Deum. **8** Habet et seruum, id est carnalem affectum, qui non viuit secundum concupiscenciam carnis sed prout expedit corpori et secundum quod anima perficiatur.

9 Igitur diligo te sicut vir uxorem, quia requies mea requies tua. Ideo tuum est omnem tribulacionem magis libenter sustinere quam me ad iram prouocare. Diligo quoque te sicut pater filium, quia dedi tibi discretionem et liberam voluntatem. **10** Diligo quoque te sicut dominus seruum, cui precepi habere necessaria moderata et labore temperatum. Sed hic seruus, id est corpus ita insensatum est, quod magis velit seruire Dyabolo quam michi. Qui Dyabolus numquam dat ei requiem a sollicitudinibus mundi."

Christus loquens sponse dicit, quod tres fuerunt supplantati propter mulieres; quorum unus assimilatur asino coronato, alius habuit cor leporinum et tercius assimilatur basilisco; et ideo mulier debet esse subdita viro suo semper. Capitulum LXXXIII.

1 Filius loquitur: "Tres leguntur supplantati propter mulieres. Primus erat rex, quem amasia sua percussit in faciem, quando non arrisit sibi, quia fatuus erat et non refrenabat eam nec curabat de honore suo. Iste erat similis asino coronato, asino propter fatuitatem, coronato propter dignitatem. **2** Secundus erat Sampson, qui licet esset fortissimus, tamen a muliere victus est. Iste habuit cor leporinum, quia non potuit domare unam mulierem. **3** Tercius erat Salomon, qui fuit quasi basiliscus, qui visu interficit et speculo interficitur. Sic Salomonis sapiencia omnes excedebat, attamen facies mulieris occidit ipsum.

4 Ideo oportet, quod mulier subdita sit viro."

Christus loquens sponse dicit ei, quod ante eum sunt duo folia libri – in uno est scripta triplex Misericordia et in alio Iusticia – monens eam, quod, dum tempus habet, conuertatur ad misericordiam, ne postea puniatur a iusticia. Capitulum LXXXV.

1 Filius loquitur ad sponsam: ”Ego sum creator omnium. Ante me sunt quasi duo folia. In uno scripta est Misericordia, in alio Iusticia. Itaque quicumque conteritur de peccatis et proponit ultra non facere, huic dicit Misericordia, quod Spiritus meus accendet eum ad faciendum bona opera. **2** Quicumque vero se vellet libenter separare ab istis vanitatibus mundi, hunc Spiritus meus feruencorem facit. Eum vero qui paratus est eciam mori pro me, hunc Spiritus meus in tantum inflammabit, quod totus sit in me et ego in eo.

3 In alio autem folio scripta est Iusticia, que dicit: ’Quicumque se non emendat, cum tempus habet, et scienter se auertit a Deo, hunc Pater non defendit nec propiciabitur ei Filius nec inflammabit eum Spiritus sanctus.’ **4** Ideo, cum tempus est, diligenter considera folium Misericordie, quia aut aqua aut igne purgabitur omnis, qui saluatur, id est aut modico penitencie labore in presenti tempore aut igne purgatorio in futuro, donec purgatus fuerit.

5 Scias eciam, quod ostendi uni homini, quem tu nosti, ista duo folia libri Misericordie et Iusticie, sed iam ipse deridet folium misericordie mee et quod sinistrum est reputat esse dextrum; et sicut herodus super aues, sic ipse ascendere querit super omnes. **6** Et ideo timendum est sibi, nisi diligenter cauerit, quod ridendo morietur et cum bibentibus et ludentibus de mundo auferetur.”

7 Sic eciam post hoc euenit. Surrexit enim a mensa letus et nocte ab inimicis interfactus est.

Mater Dei loquitur dicens, quod ipsa est similis flori, a quo apes trahunt dulcedinem; apes enim sunt serui et electi Dei, qui continue ab ea trahunt dulcedinem gracie et habent spirituales alas et pedes et aculeum.

Capitulum LXXXVI.

1 Mater loquitur: ”Ego sum regina et mater misericordie. Filius meus creator omnium tanta circa me dulcedine affectus est, quod omnium, que creata sunt, spiritualem michi dedit intelligenciam. **2** Ideo ego simillima sum flori, de quo apes maxime trahunt dulcedinem, a quo, quantumcumque colligitur, nichilominus ei dulcedo remanet. **3** Sic ego omnibus graciam impetrare possum et ego semper habundo. Verum eciam electi mei similes sunt apibus, quia tota deuocione circa honorem meum afficiuntur. **4** Ipsi enim quasi apes habent duos pedes, scilicet continuum desiderium augendi honorem meum, secundo laborant in hoc sollicite operando que possunt. **5** Habent eciam duas alas, scilicet reputando se indignos laudare me, secundo obediendo omnibus, que sunt ad honorem meum. Habent eciam aculeum, qui si defecerit eis moriuntur.

6 Sic amici Dei habent tribulaciones mundi, que ante finem vite propter virtutum custodiam non auferuntur ab eis, sed ego habundans consolacione consolabor eos.”

Christus loquitur sponse dicens, quod ipsa debet habere membra pulchra et sine macula, comparans omnia membra spiritualiter perfecte dilectioni Dei et proximorum et presertim amicorum Dei; concludit eciam, quod debeat facere spiritualiter, sicut fenix facit corporaliter, que colligit ligna et ibidem se ipsam comburit. Capitulum LXXXVII.

1 Filius loquitur sponse: "Dixi tibi prius, quod debes habere oculos serenos, ut videas mala que fecisti et bona que omisisti. Os tuum, id est mens tua sit ab omni malo munda. **2** Labia vero sunt duo desideria habenda, scilicet desiderium relinquendi omnia pro me et voluntas manendi mecum; et hec labia sunt de colore rubeo, qui decencior colorum est et longius videtur. **3** Color vero significat pulchritudinem, et omnis pulchritudo est in virtutibus, quia illud accepctus est Deo, quando hoc ei offertur, quod homo magis diligit et unde alii possint plus ad animam edificari. **4** Ergo hoc dandum est Deo, quod homo carius habet siue affectu siue opere. Ideo legitur, quod Deus operibus suis perfectis letatus est. Sic et letatur Deus, quando homo se totum offert ei volendo esse in supplicio seu gaudio ad voluntatem Dei.

5 Brachia vero dicuntur esse flexibilia et leuia ad honorem Dei. Ergo brachium sinistrum est consideracio bonorum et beneficiorum meorum, que tibi feci, scilicet creando te et redimendo, et ingratitudo tua ad me. **6** Brachium vero dextrum est dileccio tam feruens ad me, quod malles tormenta ferre quam me perdere et ad iram prouocare. Inter hec duo brachia libenter quiesco, et cor tuum erit cor meum, quia ego sum quasi ignis quidam diuine dilectionis, et ideo volo ibi feruenter diligi. **7** Coste vero defendantes cor sunt parentes tui non carnales sed electi mei, quos tu teneris diligere sicut me et plus quam parentes carnales. Ipsi vero sunt parentes tui, qui te regenerauerunt ad eternam vitam. **8** Pellis vero seu cutis anime debet esse sic pulchra, quod non habeat maculum. Per pellem vero intelligitur omnis proximus tuus, quem si sicut te ipsam dilexeris amor meus et sanctorum meorum illesus seruatur. **9** Si autem odis, leditur cor et coste erunt denudate, id est amor sanctorum meorum in te minor erit. Ideo pellis nullam habeat maculam, quia proximum tuum odire non debes sed omnes diligere secundum Deum, quia tunc est cor meum sanum com corde tuo.

10 Item dixi tibi prius, quod ego volo feruenter diligi, quia sum ignis quidam diuine dilectionis. In igne quippe meo sunt tria mirabilia. Primum quod ardet et numquam incenditur, secundum quod numquam extinguitur, tertium quod semper ardet et numquam consumitur.

11 Sic caritas mea ab inicio erat ad hominem in deitate mea, que in assumptione humanitatis mee amplius ardebat et ardet in tantum, quod numquam extinguitur sed feruentem facit animam nec consumit eam sed amplius semper fortificat. **12** Sicut in fenice colligere poteris, que senectute grauata colligit ligna in monte altissimo et illis ex calore solis succensis proiicit se in ignem et sic ex illo igne mortua reuiuscit, **13** sic anima, que ex igne caritatis diuine succenditur de eo quasi fenix melior et forcior consurgit."

Christus loquens sponse dicit ei, quod omnia creata sunt ad voluntatem suam preter homines; dicit eciam, quod sunt tria genera hominum in hoc mundo, qui comparantur tribus nauibus ambulantibus in mari, quarum prima periclitatur et perit, secunda fluctuat, tercia bene regitur. Capitulum LXXXVIII.

1 Filius loquitur: "Ego sum creator omnium spirituum bonorum et malorum. Ego eciam omnium spirituum moderator et rector sum. Ego quoque creator sum omnium illorum animalium et rerum, que sunt et habent vitam, necnon et omnium eorum, que sunt et non habent vitam. **2** Itaque quecumque sunt in celo, terra et mari, omnia sunt ad voluntatem meam preter hominem solum.

3 Scito igitur, quod homines quidam sunt sicut nauis, que amiserat gubernaculum et malum, id est arborem, et hoc illucque vagatur inter procellas maris, donec venerit ad ripas insule mortis. In ista nauis sunt illi, qui desperantes se tradunt animum voluptati.

4 Alii sunt sicut nauis, que adhuc habet malum, id est arborem, et gubernaculum et unam anchoram cum duabus funibus. Sed capitalis anchora fracta est et gubernaculum cicias soluitur, si impetus aquarum intrauerit inter nauem et gubernaculum. **5** Ideo caueatur, quia quamdiu gubernaculum et nauis coherent, propter coniunctionem mutuam quasi quandam calorem habent inter se.

6 Tercia nauis habet paramenta et armatura sua omnia et est parata velificare, cum fuerit tempus.

7 Et prima anchora, que est capitalis de qua supra dixi, est disciplina religionis ducta et leuigata per pacienciam et feroarem diuine dilectionis. **8** Hec iam nunc dissoluta est, quia institutio patrum projecta est sub pedibus et unusquisque quod sibi videtur utile habet pro religione, et sic fluctuant sicut nauis inter fluctus. **9** Secunda anchora, que est adhuc sana, ut supra dixi, est voluntas seruendi Deo, ligata duabus funibus, fide scilicet et spe, quia credunt me Deum et habent in me spem, quod velim saluare eos; **10** quorum gubernaculum ego sum, quia quamdiu ero in nauis, fluctus procellarum non intrant et quasi quidam calor est inter me et eos. **11** Tunc autem ego Deus adhereo nauis eorum, quando ipsi nichil diligunt sicut me; quibus ego affigor quasi tribus clavis scilicet timore, humilitate et consideracione operum meorum. **12** Sed si ipsi aliquid plus quam me diligent, tunc ingreditur aqua dissolucionis, tunc dissoluitur clavis timor scilicet et humilitas et diuina consideracio, tunc frangitur anchora voluntatis bone et tunc rumpuntur funes fidei et spei. **13** Sed qui in ista nauis sunt nimis instabiles sunt; ideo tendunt ad loca periculosa.

14 In tercia nauis, quam dixi, quod erat parata velificare, sunt amici mei."

Christus loquens sponse dicit ei modum, quem debet tenere miles spiritualis in prelio, scilicet quod confidat in Deo et non in viribus propriis; datque ei duas oraciones breues, quas cotidie dicat; et dicit eciam, quod debet esse armatus armis spiritualibus hic contentis. Capitulum LXXXIX.

1 Filius loquitur: "Quicumque velit pugnare sit magnanimus resurgendo, si cadet, confidens non de propriis viribus sed de misericordia mea. Qui enim diffidit de bonitate mea cogitans secum taliter: **2** 'Si aliqua attemptauero vel refrenando carnem ieconiis vel laborando vigiliis, non potero perseverare nec abstinere a viciis, quia Deus non me adiuuat,' iste merito cadet.

3 Ergo qui pugnare spiritualiter velit confidat de me et quod possit perficere cooperante gracia mea. Deinde habeat voluntatem faciendi bona et omitendi mala et resurgendi, quociens cadit, istamque legendo oracionem: **4** 'Domine Deus omnipotens, qui omnes ducas ad bonum. Ego peccator nimis longe recessi a te per facinora mea. Gracias ago tibi, quia reduxisti me ad viam rectam. Ideo rogo te, piissime Iesu, ut miserearis mei, qui in cruce stetisti sanguineus et dolorosus. **5** Et rogo te per quinque vulnera tua et per

dolorem, qui de venis tuis perforatis ad cor processit, quatenus conseruare digneris me hodie, ne cadam in peccata. **6** Da quoque michi virtutem resistendi telis inimici et viriliter resurgere, si contingat me cadere in peccata.'

7 Ad hoc autem, quod pugnans possit perseuerare in bonis, oret isto modo: 'O, Domine Deus, cui nichil est impossibile et qui omnia potes, da michi fortitudinem faciendi bona opera et in bonis posse perseuerare.'

8 Post hec assumat gladium in manu, id est confessionem puram, que debet esse bene limata et splendens: limata, ut diligenter discruciat conscienciam meam, quomodo et quantum et ubi deliquerit et qua de causa. Sit eciam splendens, ut nichil erubescat, nichil occultet nec aliter dicat, quam sicut peccauit. **9** Hic gladius debet habere duas acies acutas, scilicet voluntatem ultra non peccandi et voluntatem commissa emendandi. **10** Cuius gladii cuspis sit contricio, qua Dyabolus occiditur, quando homo, sicut prius in peccato gaudebat, sic nunc conteratur et ingemiscat ex eo, quod me Deum ad iram prouocauit. **11** Hic gladius eciam debet habere capulum, id est consideracionem magne misericordie Dei. Cuius misericordia tanta est, quod nullus talis nec tantus peccator est, qui non habeat veniam, si eam pecierit cum voluntate se emendandi.

12 Cum hac igitur intencione, scilicet quod Deus est misericors super omnia, tenendus est gladius confessionis, sed ne forte ex aciebus vulneretur manus, obsistat ferrum, quod est inter acies et capulum. Et ne forte gladius cadat de manu, prohibeat tolus. **13** Similiter qui habet gladium confessionis sperans per misericordiam Dei remitti et purgari peccata caueat, ne cadat per presumptionem venie. Ideo obsistat tolus, id est timor Dei, metuendo scilicet, ne Deus auferat graciā et inferat iram propter nimiam presumptionem. **14** Sed ne forte vulneretur et minuatur manus operacionis per nimium feruorem laboris et indiscretionem, prohibeat ferrum, quod est inter manus et acies, id est consideracio equitatis Dei; **15** quia licet iustus sim in tantum, quod nichil dimitto indiscussum et impunitum, ita tamen misericors et equus sum, quod non requiro ultra, quam natura bene ferre possit, et propter bonam voluntatem dimitto maximum supplicium et peccatum magnum pro parua emendacione.

16 Lorica vero militis est abstinencia. Sicut enim lorica constat ex multis catenulis, sic abstinencia est ex multis virtutibus, scilicet a prauo visu et sic in reliquis sensibus, et a gula et luxuria et habitu superfluo et a multis aliis, que beatus Benedictus precepit non agenda. **17** Verum hanc loricam non potest personaliter aliquis adaptare sibi sine adiutorio alterius. Ideo Mater mea, Virgo Maria inuocanda et honoranda est, quia in ea fuit omnis modus vite et omnis forma virtutum; que stabiliter inuocata omnem perfectam abstinenciam menti indicabit.

18 Galea vero est spes perfecta, que habeat quasi duo foramina, per que miles respiciat. Primum foramen est cogitacio faciendorum, secundum est consideracio omittendorum. **19** Quia omnis, qui sperat in Deo, cogitet semper, quid sit ei secundum Deum faciendum quidue omittendum. Clipeus vero sit pacientia, qua omnia adueniencia libenter paciatur."

Christus loquens sponse dicit, quod amici eius sunt sicut brachium eius ex eo, quod ipse sicut bonus medicus abscidit ab eis carnem putridam et omnia nocua et coniungit carnem bonam eis transformando eos in se. Capitulum XC.

1 Filius loquitur: "Amici mei sunt quasi brachium meum. In brachio sunt quinque, scilicet pellis seu cutis, caro, sanguis, ossa et medulla. **2** Sed ego sum sicut medicus, qui primo abscidit omnia inutilia, postea unit carnem carni et os ossi, inde apponit medicamentum sanitatis.

3 Sic ego feci eisdem amicis meis. Primo abstuli ab eis omnem cupiditatem mundi et illicita desideria carnis. Inde coniunxi medullam meam medulle eorum. **4** Que est medulla mea nisi potencia deitatis mee? Sicut enim sine medulla omnis homo mortuus est, sic qui non communicat deitati moritur. **5** Hanc igitur ego coniunxi tunc infirmitati eorum, quando sapiencia mea sapit eis et fructificat in eis, quando anima eorum intelligit facienda et omittenda. **6** Ossa vero significant fortitudinem meam. Hanc ego coniunxi fortitudini eorum, quando facio eos fortes ad agendum bona. **7** Sanguis vero significant voluntatem. Hanc ego coniunxi voluntati eorum, quando voluntas eorum est secundum velle meum et quando nichil desiderant nec querunt nisi me solum. **8** Caro significant pacienciam meam. Hanc ego coniunxi paciencie eorum, quando pacientes sunt, sicut ego fui, qui a planta pedis usque ad verticem non habui sanitatem. **9** Pellis vero significant dilectionem. Hanc ego michi coniunxi, quando nichil tantum diligunt sicut me, et libenter cum adiutorio meo eciam volunt mori pro me."

Christus ammonet sponsam, quod debeat se humiliare quadrupliciter, videlicet coram potentibus mundi et coram peccatoribus ac eciam coram amicis Dei spiritualibus et coram mundi pauperibus. Capitulum XCI.

1 Filius loquitur ad sponsam: "Tu debes te quadrupliciter humiliare. Primo coram potentibus mundi, quia ex quo homo contempsit obedire Deo dignum est, ut obediatur homini, et quia sine rectoribus homo stare non potest, ideo deferendum est potestati. **2** Secundo coram spiritualibus pauperibus, id est coram peccatoribus, orando pro eis et regraciando Deo, quia forte non fuisti nec es talis. **3** Tercio coram spiritualibus diuitibus, id est coram amicis Dei, cogitando te indignam seruire eis et conuersari cum eis. **4** Quarto coram pauperibus mundi iuuando et vestiendo eos et lauando pedes eorum."

Christus ammonet sponsam, quod progrediatur et perseveret in virtutibus imitando vitam sanctorum, ut efficiatur brachium eius; probat enim, quod sancti transformati efficiuntur brachium Christi. Capitulum XCII.

XCII.

1 Filius loquitur: "Dixi tibi prius, quod amici mei sunt brachium meum: vere sic est. In eis est enim Pater et Filius et Spiritus sanctus et Mater mea cum omni celesti exercitu. **2** Deitas quippe est quasi medulla, sine qua nemo viuit. Ossa sunt humanitas mea, que fortis fuit ad passionem. Spiritus sanctus vero est sicut sanguis, quia implet et letificat uniuersa. **3** Mater vero mea est sicut caro, in qua fuit deitas et humanitas et Spiritus sanctus. Pellis autem seu cutis est omnis celestis exercitus.

4 Sicut enim pellis tegit carnem, sic Mater mea omnes sanctos precellit virtute. Nam licet angeli mundi sunt, mundior tamen est ipsa. Et licet prophete impleti fuerint Spiritu Dei, martyres quoque multa passi, plenior tamen et feroencior fuit in Matre mea Spiritus, ipsaque plus quam martir fuit. **5** Confessores eciam et si se ab omnibus abstinuerunt, perfecciorem tamen abstinentiam habuit Mater mea, quia in ipsa fuit deitas mea cum humanitate.

6 Ergo amici mei, cum me habent, in eis est deitas, qua anima viuit, est fortitudo humanitatis mee, qua fortes fiunt usque ad mortem, et sanguis Spiritus mei, quo voluntas eorum fit mobilis ad omne bonum. **7** Caro quoque eorum tunc impleta est sanguine meo et carne mea, quando nolunt inquinari seruantes se in castitate cooperante gracia mea. Pellis quoque mea est coniuncta pelli eorum, quando vitam et mores sanctorum meorum imitantur.

8 Sic ergo sancti mei bene vocantur brachium meum, quorum et tu effici debes membrum per voluntatem progrediendi in bono et eos, in quantum poteris, imitando. **9** Sicut enim ego coniungo eos michi per corporis mei coniunctionem, sic tu eis coniungi debes et michi per idem corpus meum.”

Christus loquitur sponse precipiens ei tria, scilicet quod nichil desideret nisi victum et vestitum, quod spiritualia non cupiat habere nisi ad voluntatem Dei, et de nullis contristetur nisi de peccatis suis et aliorum; dicit eciam, quod illi, qui in hac vita peccata sua non emendauerint, grauissime in diuino iudicio punientur. Capitulum XCIII.

1 Filius loquitur: ”Tria precipio tibi, scilicet nichil desiderare preter victum et vestitum, secundo spiritualia non concupiscere nisi ad voluntatem meam, tercio de nullis contristari nisi de peccatis tuis et aliorum. **2** Si enim dolere volueris, considera districcionem iudicij mei, quam perpendere et timere poteris in quadam homine iam iudicato. **3** Qui ingressus monasterium tria habuit in animo, scilicet ut esset sine labore et ut haberet victualia sine sollicitudine; tercio cogitauit: ‘Si apprehendet me temptacio carnis, euadere potero per aliquam occasionem sine commixtione.’ **4** Propter que tripliciter afflictus est. Quia enim voluit esse sine labore, ideo verbis et verberibus coactus est ad laborem. Pro secundo paciebatur defectum in victualibus et nuditatem. Tercio fuit despctus ab omnibus in tantum, quod non poterat in luxuria delectari.

5 Instante vero tempore professionis cogitauit secum sic: ‘Quia,’ inquit, ‘non potero esse in mundo sine labore, ideo melius est michi esse in monasterio et laborare pro Deo.’ **6** Propterea cooperante tali voluntate venit ad eum misericordia mea cum iusticia, ut purgatus veniret ad gloriam sempiternam. **7** Nam facta professione statim infirmitate graui percussus est et in tantum tribulatus est, quod oculi pre dolore exierunt, aures nichil audierunt et in omnibus membris destitutus est, quia voluit sine labore esse. **8** Paciebatur et nuditatem maiorem quam in seculo, et cum haberet delicaciora, non poterat ea comedere, et cum natura illa requirebat, non ea habebat. Sic quoque natura eius consumpta fuit ante mortem, quod factus est quasi inhabilis truncus. **9** Mortuus vero venit ad iudicium quasi fur, quia voluit esse in religione ad voluntatem suam, non ad melius viendum, sed tamen non debuit iudicari ut fur, quia licet puer et fatuus fuit in ratione et conscientia, attamen fidem et spem habebat in me Deum suum, et ideo ad misericordiam iudicatus fuit. **10** Cuius peccatum, quia in pena corporali ad plenum purgari non potuit, ideo anima eius adhuc ita grauiter punitur in purgatorio ac si cutis extracto osse in prelo poneretur, ut medulla melius extorqueretur.

11 Quid igitur passuri sunt illi, qui omnem processum vite sue in peccato habent et nichil contrarii habent nec habere volunt? Ve eis, quia ipsi michi dicunt: ‘Quare mortuus est Deus, aut que utilitas est in morte eius?’ Hoc michi rependunt, quia redemi eos, quia seruo eos, quia do eis sanitatem et necessaria eorum. **12** Et ideo exquiram ab eis iudicium ex eo, quod fregerunt fidem, quam voverunt in baptismo, et ex eo, quod cotidie delinquent contempnendo mandata mea, nec aliquod minimum, ad quod obligantur in religione, dimittam impunitum.”

Declaracio.

13 Hic frater occultum habuit peccatum, quod numquam voluit confiteri. Ad quem ex mandato Christi domina Birgitta accessit dicens: "Penitere," inquit, "attencius, quia est tibi aliquid occultum in corde, quod quamdiu clausum tenueris, mori non poteris." **14** Cui respondit ille se nichil habere, quod in penitencia non esset publicatum. Et illa: "Inquire," inquit, "qua intencione ingressus es monasterium et qua intencione hucusque vixisti, et inuenies in corde tuo veritatem."

15 Tunc ille resolutus in lacrimas ait: "Benedictus Deus, qui te misit ad me! Iam enim, ex quo tu ex secreto meo locuta es, dicere volo audientibus veritatem. Ego enim quoddam occultum habeo in corde, quod prodere numquam audebam nec poteram. **16** Quia quociens penitui de aliis peccatis, de isto quasi semper lingua mea erat ligata et nimis eciam pudor inuasit me, ne confiterer absconsorum remorsum cordis mei. **17** Ideo, quociens confessionem cordis mei feci, inueni michi nouam conclusionem verborum meorum dicens: 'O, pater, confiteor vobis culpam meam de omnibus, que vobis dixi, et eciam de aliis, que non dixi,' credens per hanc conclusionem omnia secreta mea dimitti. **18** Sed nunc, domina, si placaret Deo, libenter dicerem toti mundo ea, que in corde meo tanto tempore occultaui."

19 Vocato igitur confessore plene cum lacrimis omnia illa peccata explicauit et eadem nocte mortuus est.

Christus docet sponsam pulchras oraciones, quas debeat dicere, quando induitur et quando vadit ad mensam et ad dormiendum, monens eam, quod in omnibus vestimentis suis sit humilis et in membris suis honesta et moderata. Capitulum XCIII.

1 Filius Dei loquitur ad sponsam dicens: "Pulchritudo exterior significat pulchritudinem interiorem, quam homo debet habere. Ideo cum imponis tibi vittam seu velum capitis, qua stringuntur capilli, dicio: 2 'O, Domine Deus, gracias tibi ago, quia supportasti me in peccato meo et quia propter incontinenciam meam non sum digna videre te. Ideo velo capillos meos.'" **3** Et adiunxit Dominus: "In tantum enim abominabilis est michi incontinencia, quod eciam quecumque virgo, si voluntatem habet luxuriandi, non est apud me virgo munda, nisi penitencia correxerit illam voluntatem.

4 Quando vero velas frontem, dicio: 'O, Domine Deus, qui omnia bene creasti et hominem excellencius pre omnibus ad ymaginem tuam creasti, miserere mei! Et quia non seruauit pulchritudinem faciei mee ad honorem tuum, ideo velo frontem meam.' **5** Cum vero attrahis calceos, dicio: 'Benedictus sis tu, Deus meus, qui precipis michi habere calceos, ut sim fortis et non tepida in seruicio tuo. Conforta igitur me, ut in mandatis tuis possim ambulare.' **6** In ceteris eciam vestimentis tuis omnis humilitas sit et in omnibus membris tuis honestas moderata.

7 Cum vero accedis ad mensam, dicio: 'O, Domine Deus, si velles, sicut potes, nos sine cibo subsistere, libenter rogarem te. **8** Nunc autem, quia precipis nos cibum sumere cum discrecione, rogo te, da michi continenciam in cibo, ut per graciam tuam possim comedere secundum nature necessitatem et non sicut cupiditas carnis petit.'

9 Cum autem accedis ad sompnum, dicio: 'Benedictus sis tu, Deus, qui temporum vicissitudines disponis nobis ad alleuiacionem et solacium anime et corporis! Rogo te, da corpori meo requiem in hac nocte et serua me illesam a potestate et illusione inimici.'"

Christus loquens sponse declarat ei, que et qualia sunt arma iniquorum; qui, si gloriauerint se in peccato cum voluntate in eo perseverandi, gladio seueritatis diuine iusticie terribiliter consumentur. Capitulum XCV.

1 Filius loquitur: "Ego sto quasi rex prouocatus ad pugnam. Dyabolus autem stat contra me cum exercitu suo. Verum intencio et stabilitas propositi mei est talis, quod antequam a iusticia discederem ad unum punctum, prius celum et terra et omnia, que in eis sunt, caderent. **2** Dyaboli vero intencio est talis, quod priusquam se humiliaret, prius vellet esse tot infernos, quot sunt athomi in sole. Itaque inimici aliqui appropinquant iam ad iudicium, et non est distancia inter nos plus quam ad duos pedes. **3** Vexillum eorum erectum est, clipeus est in brachio, manus ad gladium sed nondum extractus est. Tantaque est pacienza mea, quod, nisi ipsi prius percuesserint, non percuciam ego.

4 In vexillo autem inimici tria sunt: gula, cupiditas et luxuria. Quorum galea est duricia cordis eorum, quia non attendunt penam inferni nec attendunt, quam abhominabile est michi peccatum. **5** Foramina galee sunt voluptas carnis et voluntas placere mundo. Per talia enim discurrunt circumquaque et vident non videnda. Clipeus vero eorum est perfidia, qua excusant peccatum et imputant fragilitati carnis. **6** Ideo pro nichilo ducunt petere veniam pro peccatis. Gladius eorum est voluntas perseverandi in peccato; qui nondum extractus est, quia nondum completa est malicia eorum.

7 Tunc vero extrahitur gladius, quando volunt tam diu peccare, quanto tempore viuere possent. Tunc vero percuciunt, quando gloriantur de peccato et optant in statu peccati permanere. **8** Cum igitur sic completa fuerit eorum malicia, tunc vox in exercitu meo clamabit dicens: 'Percute nunc!' Et tunc gladius seueritatis mee consumet eos, et quilibet, sicut armatus est, sustinebit. **9** Quorum animas rapient demones, qui sicut rapaces aues non querunt bonum temporale sed animas, quas sine cessacione laniabunt."

Declarat Sponsus sponse, quid significat distancia duorum pedum et extractio gladii, de quibus dixerat supra in proximo capitulo. Capitulum XCVI.

1 Filius loquitur: "Dixi tibi prius, quod inter inimicos et me non est nisi distancia duorum pedum. Iam enim modo ipsi ad iudicium alio pede appropinquant. **2** Unus istorum pedum est remuneracio illorum bonorum operum, que pro me fecerunt. Ideo ab isto die augebitur infamia, amarescit delectacio eorum, auferetur gaudium, augmentabitur tribulacio atque dolor. **3** Secundus vero pes est malicia eorum, que nondum completa est. Sed sicut dici solet, quod quando res aliqua plena est, tunc crepat, sic quando anima et corpus separantur, dampnантur a diiudicatore.

4 Gladius vero est voluntas peccandi, qui ad dimidietatem extractus est, quia decrescente homine et contrariis succendentibus plus angustiantur et inardescunt iam ad peccatum. Prosperitas enim et honor non

multum sinebant eos cogitare de peccato. **5** Nunc autem, ut voluptatem suam perficiant, optant diucius viuere et licencius iam apponunt peccare. Ve eis, quia, nisi se emendauerint, perdicio eorum iam appropinquat.”

Christus loquens sponse de quodam prelato dicit ei, quod anima deuota, que perdidit deuocionis et sancte meditacionis calorem propter superbiam et ambicionem suam et implicaciones mundi, humiliando se perfecte Deo et proximo recuperabit diuinum calorem et lumen et senciet diuinam dulcedinem. Capitulum

XCVII.

1 Filius loquitur per sponsam cuidam prelato dicens ei: ”Tu similis es rote molendini, que immobilis est; que cum stat fixa se non mouens, tunc grana in molendino non conteruntur. **2** Rota itaque hec significat voluntatem tuam, que deberet esse mobilis non ad voluntatem et desiderium tuum sed ad meum, totumque relinquere te debes in manus meas. **3** Sed hec rota nimis immobilis est secundum velle meum, quia aqua terrene cogitationis nimis sollicitat mentem tuam. Consideracio vero operum meorum et passio mea quasi mortua est in corde tuo, propter quod cibus anime non sapit tibi nec sentitur.

4 Et ideo tu irrumpe transitum aque obstructum, ut defluat aqua, qua transeunte rota fiet mobilis et grana faciliter conterentur. Obstaculum autem, quod retentat aquam, superbiam mentis et ambicio est, qua gracia Spiritus sancti obstruitur et omne bonum, quo anima fructificare debet, impeditur. **5** Ideo assume veram humilitatem in mente tua. Per hanc enim influet dulcedo Spiritus mei in animam tuam et defluet terrena cogitacio. **6** Per hanc eciam voluntas tua mobilis et perfecta erit ad velle meum, et tunc incipies opera tua tamquam grana dijudicare et opera mea pro magno reputare.

7 Que autem est vera humilitas? Certe non curare fauores et oblocuciones hominum, viam meam que oblita et neglecta est incedere, superflua non querere, simplicioribus te conformare. **8** Si hanc viam diligis, tunc sapiunt tibi spiritualia, tunc passio mea et via sanctorum meorum dulcis erit menti tue, tunc intelliges, quantum es debitor animabus quas regere suscepisti. **9** Ergo, quia iam in summitate rote ascendisti duobus pedibus scilicet potencia et honore, ideo ex potencia est tibi cupiditas et ex honore est tibi superbiam. Propterea descende nunc humiliando te ipsum mente et humiles rogando pro te orare. **10** Nam mittam tibi iusticiam meam quasi fluum rapidissimum et exigam a te nouissimum quadrantem et rationem scilicet pro affectu, cogitatu, pro locuzione et pro opere. Exigam quoque animas, quas prouidencie tue commisi, quas ego ipse sanguine meo redemi.”

Christus loquens sponse dicit, quod quatuor iaculis id est quatuor increpcionibus hic contentis sagittandi sunt peccatores et tepidi, ut compungantur et ad emendacionem vite humiliter reducantur. Capitulum

XCVIII.

1 Filius loquitur: ”Ego dabo amicis meis quatuor iacula. Primo sagittandus est ille qui altero oculo cecus est, secundo qui altero pede claudus est, tertio qui alia aure surdus est, quarto qui prostratus iacet in terra.

2 Ille igitur alio oculo cecus est, qui mandata Dei et opera sanctorum videt et non attendit. Videt vero delectabilia mundi et concupiscit. Hic talis sagittandus est isto modo, dicendo ei sic: **3** 'Tu similis est Lucifero, qui vedit summam pulchritudinem Dei, sed quia iniuste desiderauit quod non debuit, ideo descendit in infernum, ad quem et tu descendes, nisi resipueris, ex eo quod intelligis precepta Dei et quod omnia transitoria sunt in mundo. **4** Ideo consultissimum est tibi tenere certum et dimittere transitorium, ne descendas in infernum.'

5 Ille vero alio pede claudus est, qui penitet et conteritur de peccatis commissis sed laborat ad acquirendum terrena commoda et lucra que mundi sunt. **6** Hic sagittandus est taliter: 'Tu laboras pro commodo corporis, quod vermes comedunt sunt cicius. Ideo labora fructuose pro anima, que in eternum est victura.'

7 Ille vero alia aure surdus est qui audire desiderat verba mea et sanctorum meorum, sed aliam aurem habet apertam ad scurrilia et ad ea que sunt mundi. **8** Ideo dicatur ei: 'Tu similis es Iude, qui audiuit una aure verba Dei et per aliam exierunt, ideo non profuit sibi sermo auditus. Propterea clade aures tuas a vano auditu, ut ad angelicos cantus possis peruenire.'

9 Ille vero iacet totus in terra qui terrenis implicatur sed tamen cogitat et vellet scire viam, per quam se emendare posset. Isti dicatur taliter: 'Tempus istud breve est quasi punctus, pena vero inferni eterna et gloria sanctorum perpetua. **10** Ideo ut ad vitam veram peruenias, non sit tibi molestum aliquid assumere graue et amarum, quia sicut Deus pius est sic est et iustus.'

11 Quicumque igitur sic sagittatus fuerit, si sagitta de corde eius exierit sanguinea, id est quod iste vere compungatur et proponat se emendare, huic ego immittam oleum gracie mee, qua omnia membra eius conualescent."

*Christus loquens sponse conqueritur de Iudeis crucifixoribus; conqueritur eciam de Christianis
contempnentibus eum et eius caritatem et iusticiam peccando presumptuose et scienter contra mandata
eius et spernentes sentencias excommunicacionis Ecclesie sub pretextu misericordie Dei, propter quod
communitur eos cum ira et furore iusticie sue. Capitulum XCIX.*

1 Mater loquitur: "Isto tempore paciebatur Filius meus, qui appropinquate Iuda proditore suo inclinavit se ad eum, eo quod Iudas breuis stature erat, dans ei osculum et dicens: **2** 'Amice, ad quid venisti?' Et statim alii rapuerunt eum, alii traxerunt eum per crines, alii sputis deturpabant eum."

3 Deinde loquebatur Filius dicens: "Ego reputor quasi vermis, qui quasi mortuus in hyeme iacet, in quem transeuntes exspuunt et calcant in dorso eius. Sic fecerunt michi hodie Iudei quasi vermi, quia abiectissimus et indignissimus ab eis iudicatus sum. **4** Sic et Christiani contempnunt me, quia omnia illa, que pro caritate eis feci et pertuli, reputant pro vanitate. **5** Calcant quoque quasi in dorso meo, quando plus timent et venerantur hominem quam me, Deum suum, quando iusticiam meam reputant pro nichilo et in arbitrio suo constituunt tempus et modum miserationis mee. **6** Percutient quoque me quasi in dentes, quando auditis preceptis meis et passione mea dicunt: 'Faciamus in presenti quidquid delectat nos, et nichilominus habebimus celestia. **7** Si enim perdere aut in eternum punire nos vellet Deus, non nos creasset et non redemisset nos tam amare.' Ideo sencent iusticiam meam, quia sicut nec minimum bonum erit

irremuneratum, sic nec minimum malum erit impunitum. **8** Contempnunt eciam me quasi conculcantes me, quando non attendunt iudicia Ecclesie scilicet excommunicacionem. Ideo, sicut excommunicati deuitantur ab aliis, sic ipsi separabuntur a me, quia excommunicatio, quando scitur et contempnatur, grauius nocet quam gladius corporalis.

9 Ideo ego, qui quasi vermis videor, nunc reuiuscere volo per terribile iudicium meum et veniam sic terribilis, quod videntes dicent montibus: 'Cadite super nos a facie ire Dei!'"

Christus loquens sponse dicit ei, quod ipsa est quasi fistula Spiritus sancti, per quam ipse dulcem facit sonum in mundo ad honorem suum et utilitatem gencium, propter quod ipse vult eam ab extra deargentare bonis moribus et sapiencia, ab intus vero deaurare vera humilitate et cordis mundicia. Capitulum C.

1 Filius loquitur ad sponsam: "Tu debes esse quasi fistula, per quam fistulator dulcem facit sonum. Qui autem possessor fistule est deargentat eam exterius, ut videatur preciosior, intus vero deaurat auro perseveranti. **2** Sic et tu deargentata debes esse bonis moribus et humana sapiencia, ut intelligas, quid debeas Deo quidue proximo tuo, quid vero expedit anime quidue corpori ad eternam salutem. **3** Intus autem debes esse deaurata per humilitatem, ut scilicet nulli placere appetas nisi michi nec displicere hominibus timeas propter me.

4 Deinde fistulator tria facit fistule sue. Primo inuoluit eam sindone, ne maculetur. Secundo facit ei coopertorium, in quo custodiatur. Tercio facit coopertorio seram, ne a fure auferatur. **5** Sic tu inuolui debes mundicia, ut nec affectu nec delectacione velis amplius inquinari, sed labora libenter, ut possis esse sola, quia corruptum bonos mores conuersacio malorum. **6** Sera vero est diligens custodia sensuum tuorum et interiorum omnium, ut in omnibus actibus tuis attendas, ne astucia Dyaboli decipiari. Clavis vero est Spiritus sanctus, qui cor tuum aperiet, prout michi placuerit, ad honorem meum et hominum utilitatem."

Mater Dei loquitur dicens, quod cor Filii sui est suauissimum, mundissimum et dulcissimum et in tantum habundans caritate, quod eciam si peccator staret ad portas perdicionis, si clamaret ad eum cum voluntate se emendandi, statim liberaretur; peruenitur enim ad cor Dei per humilitatem vere contritionis et per deuotam et frequentem consideracionem eiusdem passionis. Capitulum CI.

1 Mater Dei loquitur: "Cor Filii mei est suauissimum quasi mel et mundissimum quasi fons purissimus, quia ab ipso quidquid est virtutis et bonitatis quasi a fonte procedit. **2** Ipse eciam est dulcissimus. Quid enim est dulcius homini sensato quam considerare caritatem eius in creacione et redempcione, in labore et doctrina, in gracia eius et pacientia? **3** Eius quippe caritas non est fluida sicut aqua sed extensa et durabilis, quia caritas eius usque ad nouissimum manet cum homine in tantum, quod, si peccator staret ad fores perdicionis adhuc si inde clamaret cum voluntate emendandi se, eriperetur.

4 Item ad peruenientium ad cor Dei sunt due vie. Prima est humilitas vere contritionis et hec inducit hominem in cor Dei et in colloquium spirituale. **5** Secunda via est consideracio passionis Filii mei, que remouet duriciam a corde hominis et facit hominem currere gaudenter ad cor Dei.”

Ostenditur sponse in visione iudicium unius anime cuiusdam religiosi coram Christo iudice iudicante, pro quo beata Virgo interpellat, quem Dyabolus de graibus peccatis crudeliter accusat. Capitulum CII.

1 Mater Dei loquitur Filio dicens: ”Querimonia mea magna est; licet omnia scias, sed propter istam que astat proferam.” Respondit Filius: ”Michi omne iudicium datum est, et oportet me de singulis iudicare. **2** Verum ad iudicem iustum nouem bona pertinent. Primo attente audire; secundo discernere proposita; tertio voluntas velle iudicare iuste; quarto inquirere, qua de causa litigatur; quinto inquirere, quanto tempore lis durauerat, quia grauius dampnum est de iudicij dilacione; **3** sexto inquirere, quales testes, si probati, si affirmatiue coniurati aut si alter litigancium habet plures testes; septimo non esse preceps nec timidus in iudicio nec timere potestatem aut dampnum seu de honestacionem propter veritatem; **4** octauo non curare preces seu dona aliquorum; nono esse equum in iudicando, sic iudicare pauperi sicut diuiti, ita fratri et filio sicut extraneo, non facere contra veritatem propter aliquid delectabile mundi. Ergo, Mater carissima, dicio que vis!”

5 Respondit Mater: ”Duo certant inter se et in eis sunt duo spiritus, in uno bonus in alio malus. Certant vero de empione sanguinis tui, alter ad occidendum, alius ad viuificantum. In uno est obediencia et dileccio, in secundo odium et superbia. Fac igitur iudicium!” **6** Respondit Filius: ”Quot sunt testes cum amico tuo et quot cum altero?” Respondit Mater: ”Amicus meus habet paucos, alter vero habet multos, qui sciunt veritatem et audire contempnunt.” Respondit Filius: ”Faciam iudicium iustum.” **7** Et Mater ait: ”Meus amicus non conqueritur. Sufficit enim sibi sola sui corporis substancia. Sed ego, que domina sua sum, conqueror, ne malicia preualeat.” **8** Respondit Filius: ”Faciam que vis. Sed sicut scis, iudicium corporale precedere debet spirituale et, nisi fuerit consumatum peccatum, non debet aliquis iudicari.”

9 Et Mater: ”O, Fili, licet nos omnia sciamus, propter astantem quero, quid et quale in isto sit iudicium corporale quidue spirituale?” Et Filius: ”Iudicium,” inquit, ”corporale est, ut anima eius celeriter discedat a corpore et manus eius fiet mors eius. **10** Iudicium vero spirituale est, ut anima eius suspendatur in patibulo inferni, quod non est ex funibus sed ex igne ardentissimo, quia ouis degenerans est a grege suo.”

11 Tunc unus de religiosis scilicet Augustini loquebatur ad iudicem dicens: ”Domine, nichil tibi cum isto. Tu vocasti eum ad quietem et ipse eam oblitus est, obediencia sua fracta est, nomen eius ablatum est et opera eius nulla.” Respondit iudex: ”Anima eius non est presens in iudicio ad respondendum.” **12** Cui Dyabolus dixit: ”Ego volo respondere: Si tu vocasti eum a procellis mundi ad quietem, ego vocavi eum de altissimo vertice seu cacumine in profundissimam fossam. Obediencia eius promptissima est ad me, nomen eius apud me est gloriosum.”

13 Cui iudex: ”Expone,” inquit, ”que notas!” Et demon dixit: ”Faciam, licet inuitus. Tu vocasti eum de procellis curarum mundi ad requiem vite spiritualis quasi ad bonum portum, sed ipse reputat hoc quasi pro nichilo, quia magis appetit sollicitudines mundi. **14** Altissimus vero vertex est contricio bona et confessio. Hanc qui perfecte tenet, ipse loquitur tecum, qui es potentissimus, et attingit ad tuam maiestatem. **15** De hoc vertice seu cacumine altissimo ego precipitaui eum, quando ipse peccare proponit usque in finem,

quando peccata reputat pro nichilo et iusticiam tuam pro vanitate. **16** Profundissima vero fossa est gula et cupiditas, quia sicut fossa profundissima non de facili impletur, sic insaciabilis est cupiditas sua. **17** Nomen autem eius erat monachus, et nomen monachi est custodia sui et abstinentia eciam a licitis; sed hoc in eo abolita sunt et iam vocatur Saul. Sicut enim Saul recessit ab obediencia, sic et iste. **18** Nam obediencia sua fracta est, quia sicut due extremitates ligni fracti non conueniunt propter putredinem eius, sic nec desiderium celeste nec diuina caritas, que sunt tamquam due extremitates et uniones obediencie, conuenire possunt in obediencia sua, quia non obedit nisi ad mundanam utilitatem et voluntatem suam propriam, et opera sua sunt secundum opera mea. **19** Quia licet ego non legam missas nec cantem nec faciam reliqua sicut ipse, tamen quando omnia ista facit secundum velle meum, tunc facit opera mea et dici possunt opera mea. Nam cum celebrat missas, ex presumptione accedit ad te et ex presumptione illa impletur maiori malicia mea. **20** Cantat eciam pro laude hominum, et cum ego ostendo ei dorsum meum, ipse dorsum suum vertit ad me; et quando ego volo, vertit ventrem suum ad ventrem meum, id est omnem voluptatem suam perficit secundum voluntatem meam et omnia que facit, causa presentis vite et proprie voluntatis facit. Ideo opera eius sunt opera mea.”

Declaracio.

21 Item anima eadem apparuit ceca et tremens, quam Ethiops quidam insequebatur, usquequo veniret ad iudicem, qui residere videbatur in throno grandi multitudine astante. **22** Et dixit Ethiops: ”O, iudex, iudica michi animam istam. Iam enim ipsa personaliter est presens et iam precessit iudicium eius corporale.” <...> **23** Et Ethiops: ”Tu,” inquit, ”dixisti, quod manus eius fieret mors eius. Hoc iam factum est.” Et iudex: ”Hoc dupliciter potest intelligi, aut quia operacio mala fuit occasio mortis eius aut quia manus corporalis abbreviabat vitam carnis eius. **24** Respondit Ethiops: ”Utrumque verum est. Nam vita impudica occidit animam eius et impaciencia aperuit vulnus carnis eius, quo mortuus est.” **25** Cui iudex: ”Tu,” inquit, ”accusasti animam istam prius, quia sequebatur in omnibus velle tuum et quia precipitabas eam de vertice altissimo et quia ventrem suum vertebat ad te. Ideo audiamus, quid dicit ipsa anima!”

26 Et iudex quasi vertens se ad animam dixit: ”O, anima, tu habuisti rationem discernendi inter bonum et malum. Cur nomen sacerdotii honorificum strauisti sub pedibus tuis?” **27** Respondit illa: ”Habui quidem rationem sed magis sequebar velle meum discredens, quod sub specie tam modica tanta magnitudo occultaretur.” **28** Dixit iudex secundo: ”Tu sciuisti, quod religionis perfeccio est humilitas et obediencia. Cur sub specie ouis ingressus es lupus?” Cui anima: ”Ut,” inquit, ”effugerem obprobrium mundi et quieciorem ducerem vitam.” **29** Respondit iudex tertio: ”O, frater, sed non meus. Si vidisti exempla sanctorum fratrum et audisti verba sanctorum, cur non es illa secutus?” **30** Respondit illa: ”Omnia illa bona, que audiui et vidi, erant michi odiosa et onerosa, quia statui in corde meo magis sequi voluntatem meam et mores meos quam mores sanctorum.” **31** Item iudex dixit quarto: ”Numquid non frequentabas ieunia et oraciones et confessiones?” Cui anima: ”Frequentabam,” ait, ”ieiunia et oraciones sed feci sicut ille, qui dixit minima, ut placeat, sed, ne displiceat, abscondit maiora.” **32** Item iudex: ”Numquid,” inquit, ”non legisti, quod quilibet homo debet reddere rationem eciam de quadrante, hoc est de minimis?” **33** Tunc anima quasi cum maximo eiulatu ait: ”Vere, Domine, legi et scui in conscientia mea sed putaui misericordiam tuam esse ita magnam, quod nolles eternaliter punire. **34** Ideo habui velle penitere in senectute sed dolor et mors ita venerunt michi subito, quod cum vellem confiteri, perdidì memoriam et quasi vinculo quodam erat lingua mea ligata.”

35 Tunc clamauit Dyabolus: ”O, iudex, ecce mirabile video: anima iudicat se ipsam! Confitetur nunc infructuose malum suum; et tamen ego non audeo apponere ad eam manum meam sine iudicio tuo.” **36**

Respondit iudex: "Factum est et consumatum." Quibus dictis Ethiops et anima quasi colligati disparuerunt et quasi cum maximo tonitruo descenderunt.

37 Item dixit iudex: "Hec omnia in uno puncto facta sunt sed propter te, ut intelligas, facta videntur in tempore, ut videoas et scias et timeas iusticiam Dei."

Orante Christi sponsa vidit in visione, qualiter beatus Dyonisius orabat pro regno Francie ad virginem Mariam. Capitulum CIII.

1 Cum essem orando, vidi, qualiter ad virginem Mariam beatus Dyonisius loquebatur dicens: "Regina misericordie tu es, cui data est omnis misericordia, et Mater Dei facta es propter miserorum salutem. **2** Miserere igitur regno Francie tuo et meo. Tuo quidem, quia habitatores eius te pro modulo suo honorant; meo autem, quia patronus eorum sum et in me habent fiduciam. **3** Tu quippe vides, quante anime periclitantur omni hora et hominum corpora quasi bestie prosternuntur et, quod grauius est, anime quasi nix descendunt in infernum. Consolare ergo eos et roga pro eis, quia domina es et omnium adiutrix." **4** Respondit Mater Dei: "Procedas ad Filium meum et audiamus propter istam, que astat, quid ipse respondebit."

Mater Dei orat cum beato Dyonisio et aliis sanctis eundem Filium suum pro regno Francie et super guerra istorum duorum regum, qui assimilantur bestiis ferocissimis. Capitulum CIII.

1 Mater loquitur ad Filium dicens: "Benedictus sis tu, Fili mi. Scribitur, quod ego dicebar benedicta, que te portaui in utero. Tu vero respondisti, quod ille est eciam benedictus, qui verba tua audiret et seruaret illa. Ergo, Fili, ego sum illa, que verba tua memoriter in corde meo seruauit. **2** Ideo reduco unum verbum, quod dixisti, scilicet Petro querenti, si dimitteret peccanti usque sepcies, respondisti dimittendum usque ad septuagies sepcies notans per hec, quod quociens aliquis se humiliat cum voluntate emendandi, tociens tu paratus es dare misericordiam." **3** Respondit Filius: "Testimonium tibi perhibeo, quod verba mea fuerunt radicata in te sicut semen, quod seminatur in pingui terra dans ex se fructum centesimum. Sic eciam virtuosa opera tua omnibus faciunt leticie fructum. Ideoque pete que vis!"

4 Respondit Mater: "Rogo te cum Dyonisio et aliis sanctis tuis, quorum corpora in hac terra istius regni Francie sunt, anime vero in celo: Miserere isto regno! Ego enim per similitudinem loquendo propter istam, que presens est spiritu, video quasi duas bestias ferocissimas, quamlibet de genere suo. **5** Altera enim cupidissima est deglutire que potest habere, et quo plus comedit, eo magis esurit nec saciatur fames eius. Bestia vero secunda nititur super omnes ascendere. Iste bestie habent tria mala. Primo terribilem vocem, secundo sunt plene periculo igne, tertio quelibet desiderat alterius cor in se deglutire. **6** Et una inquirit in dorso alterius dentibus suis inuenire ingressum ad cor, ut mordendo occidat. Altera vero habet os ante pectus anterius volens ibi inquirere ingressum ad cor. **7** Vox terribilis istarum bestiarum auditur longe, et omnes bestie, que aperto ore veniunt, erunt ardentes igne istarum bestiarum, ideo cadent in mortem. Ille vero bestie, que clauso ore veniunt, priuabuntur vellere et discedunt nude.

8 In istis duobus bestiis intelliguntur duo reges, scilicet Francie et Anglie. Rex alter non saciatur, quia bellum suum est ex cupiditate, rex alius nititur ascendere; ideo ambo sunt pleni igne ire et cupiditatis. **9** Vox bestiarum est talis: 'Recipe aurum et diuicias mundi, ut non parcas sanguini Christianorum!' Quelibet istarum bestiarum desiderat alterius mortem et ideo quelibet querit alterius locum ad nocendum. **10** Ille vero querit in dorso nocere, qui iniusticiam suam desiderat audiri esse iusticiam et ut alterius iusticia diceretur esse iniusticia. Alius autem querit in pectore nocere cordi, qui scit se habere iusticiam et ideo facit multum dampnum non curans de perdicione et miseria aliorum nec in sua iusticia habet diuinam caritatem. **11** Ideo ergo in pectore querit ingressum, quia ipse maiorem iusticiam habet ad regnum et cum ipsa iusticia habet superbiam et iram. Alius vero habet minorem iusticiam, ideo ardet cupiditate.

12 Bestie quoque alie, que aperto ore veniunt, hii sunt qui propter cupiditatem veniunt ad eos. Horum ora aperta implet hii, qui vocantur reges sed sunt veri proditores. Proiciunt namque pecunias habundanter et dona in ora ipsum et sic faciunt eos ardere ad bellum, ut cadant in mortem. **13** Quorum bona remanent et corpora recipiuntur in terra et corrodunt vermes Dyaboli eorum animas. Et sic isti duo reges produnt multas animas de Filio meo, qui eas redemit sanguine suo. **14** Ille vero bestie, que priuantur vellere, sunt homines simplices et qui contentantur de bonis suis; qui hac intencione procedunt ad bellum, quia credunt se habere iusticiam et bellum esse iustum. **15** Ideo priuantur velleribus, id est corporibus per mortem. Anime vero eorum recipiuntur in celum. Ideo, Fili mi, miserere!"

16 Respondit Filius: "Quia omnia vides in me, dic ista audiente, que astat, que est iusticia, ut reges isti exaudiantur." Et Mater respondit: "Ego," inquit, "audio tres voces. Prima est istorum regum, quorum unus cogitat sic: 'Si haberem mea, non curarem habere alia, et timeo carere omnibus.' **17** Et ex isto timore, scilicet quod timet obprobrium mundi, conuertit se ad me dicens: 'O, Maria, roga pro me!' Alter vero rex taliter cogitat: 'Utinam essem in statu priori! Fesus sum.' Ideo et ipse se eciam conuertit ad me. Secunda vox est communitatis, que cotidie rogat me pro pace. **18** Tercia vox est electorum tuorum, qui clamant dicentes: 'Non ploramus corpora mortuorum, non dampna, non paupertatem sed animarum casum, que cotidie periclitantur. Ideo, o Domina, roga Filium tuum, ut anime saluentur!' Propterea, o Fili mi, miserere eis!"

19 Respondit Filius: "Est scriptum, quod pulsanti aperietur, vocanti respondendum est et petenti dabitur. Sed sicut omnis, qui pulsat, extra ostium est, sic et isti reges extra ostium sunt, quia me non habent in se. Ideo propter te petentibus est aperiendum."

*Christus loquens sponse dicit ei modum, per quem debeat fieri pax inter reges Francie et Anglie. Quod si
ipsi reges non obedierint, grauissime punientur. Capitulum CV.*

1 Filius loquitur: "Ego sum rex metuendus et honorandus. Ideo propter preces Matris mee mittam eis verba mea. Ego sum pax vera, et ubi pax est, ibi pro certo ego sum. Si igitur isti duo reges Francie et Anglie habere voluerint pacem, ego dabo eis perpetuam pacem. **2** Sed pax vera haberi non poterit, nisi veritas et iusticia diligentur. Ideo, quia alter regum habet iusticiam, placet michi, quod per matrimonium fiat pax et sic regnum ad legittimum heredem poterit peruenire. **3** Secundo volo, quod sint cor unum et anima una in augendo fidem sanctam Christianam, ubi commodius fieri poterit ad honorem meum. Tercio deponant intolerabiles exacciones et fraudulentas adinuencias suas et diligent animas subditorum suorum.

4 Si autem ille rex, qui nunc tenet regnum, obedire noluerit, sciat pro certissimo, quod non prosperabitur in factis suis sed in dolore finiet vitam et regnum dimittet in tribulacionibus. Et filius et generacio sua erit in ira et obprobrio et confusione ita, quod omnes admirabuntur. **5** Si autem rex ille, qui iustiam habet obedire voluerit, adiuuabo eum et pugnabo pro eo. Si vero non obedierit, nec ipse perueniet ad desiderium suum sed priuabitur obtentis, et principium gaudiosum dolorosus exitus obscurabit. **6** Verumptamen, quando homines regni Francie assumpserint veram humilitatem, regnum perueniet ad legitimum heredem et bonam pacem.”

Christus dicit sponse, quod non timeat frangere abstinentiam per obedienciam patris spiritualis, quia non est peccatum; et eciam monet sponsam, quod stet stabilis, quod resistat temptationibus continue et quod habeat voluntatem firmam perseverandi in bono exemplo virginis Marie, Dauid et Abrahe. Capitulum CVI.

1 Filius loquitur: ”Cur times? Nam eciam si quater in die comederes, non tibi imputabitur ad peccatum, si permissione eius feceris, cui teneris obedire. Sta ergo stabilis. **2** Tu debes esse sicut miles, qui percussus in bello diuersis vulneribus reddit inimicis vulnera multo acriora et eo ad pugnandum est feruencior, quo plus ab hostibus appetitur. **3** Sic et tu inimicum tuum debes repercutere et esse stabilis, et voluntatem racionabilem debere in bono perseverandi.

4 Tunc autem repercutis Dyabolum, quando temptationi non consentis sed viriliter resistis utputa opponendo humilitatem contra superbiam, continenciam contra gulam. **5** Tunc vero es stabilis, cum in temptatione contra Deum non murmuras sed cum hylaritate omnia sufferendo et peccatis tuis omnia imputando regraciaris Deo. **6** Tunc vero voluntas tua est racionabilis, cum non desideras premium nisi ad voluntatem meam, cum te totam relinquis in manus meas.

7 Primum itaque bonum scilicet repercutere hostem non habuit Lucifer, quia statim consensit cogitationi sue; ideo cecidit irrecuperabiliter, quia sicut nullum malicie sue habuit instigatorem, ita eciam nullum habebit recuperatorem. **8** Secundum bonum scilicet stabilitatem non habuit Iudas sed factus desperatus se ipsum suspendit. Tercium bonum scilicet voluntatem bonam non habuit Pilatus, quia feruencorem voluntatem habuit ad placendum Iudeis et ad honorem suum quam ad me liberandum.

9 Sed primum bonum scilicet repercutere hostem habuit Mater mea, que quot habuit temptamenta, tot reddidit et reopposuit contraria. Secundum vero bonum habuit Dauid, qui in aduersitate fuit paciens et in casu suo non desperans. **10** Tercium bonum scilicet voluntatem perfectam habuit Abraham, qui relicta patria eciam filium unicum immolabat. Hos igitur et tu iuxta vires tuas imitare!”

Christus inducit sponsam id est animam ad conseruandum diligenter semper contritionem puram, caritatem diuinam et obedienciam firmam; condemnat eciam illos qui contempnunt obedienciam et abstinentiam et bonam pacienciam; auisat quoque hominem spiritualem, ne paulatiue sub specie lucis permittat ingrossare et obcecare conscientiam suam. Capitulum CVII.

1 Apparuit angelus quidam mire speciei, ad quem alii angeli visi sunt loqui dicentes: "O, amice, cur offers Deo nostro nucem vacuam?" Respondit ille: "Licet omnia sciatis, tamen propter istam que astat loquor. **2** Ego ex presencia Dei nostri numquam contristor, qui sic voluntati eius deseruo ad profectum animarum, quod numquam eius careo presencia. Cui etsi non offero nucem dulcedinis, offero tamen aliquid delectabile scilicet clauem de auro purissimo, vas argenteum et coronam de lapidibus preciosis.

3 Clavis vero significat contritionem puram pro peccatis, que aperit cor Dei et introducit peccatorem in cor Dei. Vas vero est diuina delectacio et caritas, in qua Deus cum anima suauiter requiescit. Corona est obediencia firma et hylaris. Hec enim tria requirit Deus meus ab anima sancta.

4 Sed licet hec anima custodie mee deputata hec tria spreuerit, represento tamen iterum Deo illa, que ei obtulit, et nichilominus honor suus erit. **5** Nam clavis contritionis est ei onerosa in tantum, quod nec cogitare de ea velit. Vas vero dilectionis diuine est ei sic amarum, quod nullatenus illud odorare potest. Quomodo enim ei dulcescere posset suauitas spiritualis, ubi radicata est voluptas carnis? **6** Non enim duo contraria bene conueniunt in uno vase. Corona eciam obediencie grauis est ei ad portandum, quia propria voluntas tantum ei placet, quod dulcius ei videtur sequi propriam voluntatem quam Dei.

7 Tunc angelus conuertens se ad Deum dixit: "Ecce, Domine, vas et clavis et corona, quibus anima ista fecit se indignam; et ideo cum testa crepuit et intus plena est luto, que debuisset esse plena melle suauissimo. In medio vero teste iacet serpens. **8** Testa igitur est cor, quod, cum per mortem crepuerit, plenum est desideriis mundi, que sunt quasi lutum. Serpens autem est anima, que lucidior deberet esse sole, ferauencior flamma, sed facta est serpens plena veneno nulli nocuio nisi sibi ipsi ad perditionem."

9 Dominus autem tunc locutus est spose dicens: "Ego dico tibi per similitudinem quandam, quomodo ille constitutus est, quasi si unus homo staret et alter eundo appropinquaret ei. Cumque ambo facies haberent alter ad alterum, dixit ille qui ibat: **10** 'Domine, quasi unum intersticium est inter nos. Ostende michi viam per quam gradiar, quia video te potentissimum absque comparacione, suauissimum absque consideracione, optimum tamquam illum, a quo est omnis bonitas et sine quo nullus est bonus.' **11** Respondit ille: 'Amice, monstrabo tibi triplicem viam, que tamen ad unum tendit. Hanc si secutus fueris, petrosa est in principio sed in fine planissima, obscura est in capite sed lucida est in progressu, amara ad tempus sed suauissima in fine.' **12** Respondit ille: 'Tantum ostende michi viam et libenter sequar eam. Video enim periculum esse in mora, dampnum in errore vie, fructum maximum, si secutus fuero viam. Ideo imple desiderium meum et ostende michi viam veram.'

13 Ego igitur, creator omnium, ego sum ille qui sto immutabilis et in eternum stabilis. Tunc ille talis appropinquabat michi, quando me diligebat et nichil sicut me querebat. Ego quoque verti faciem meam ad eum, quando in animam eius misi diuinam consolacionem, et mundi gaudium erat ei odio et omnis voluptas carnis. **14** Ego eciam ostendi ei triplicem viam non loquendo voce carnis sed inspirando anime sue occulte eo modo, quo nunc inspiro anime tue in aperto.

15 Primum igitur ostendi ei, quod esset obediens michi Deo suo et prelatis suis, sed ipse respondit michi intus cogitando sic in mente sua: 'Non faciam,' inquit, 'quia durus est prelatus et non caritatuus, et ideo non valeo ei obedire hylari voluntate.' **16** Ostendi eciam ei secundam viam scilicet fugere voluptatem carnis et sequi meam voluntatem diuinam, fugere crapulam et sequi abstinentiam. Hee enim vie sunt que ducunt ad obedienciam veram, sed ipse respondit michi: **17** 'Nequaquam. Natura quidem mea est infirma. Ideo comedam et dormiam ad saturitatem, loquar ad habendum gaudium et rideam propter solacium

mundi.' **18** Ostendi eciam ei terciam viam scilicet habere pacienciam bonam propter me Deum suum, quia hec est que dicit ad abstinenciam et inducit ad obedienciam sanctam; sed ipse respondit michi: **19** 'Non faciam. Si enim illa contumeliosa michi suffero, arguar quod sum fatuus; si despeccior ceteris fuero in habitu, confundor ab omnibus; et si in membris meis est deformitas, necesse est, ut opus meum aliquod placitum hominibus hoc suppleat et recompenset.'"

20 "Sic igitur," ait Dominus, "ego et conscientia sua certabamus, usquequo elongans se a me vertebat occiput ad me et non faciem. Sed quomodo vertebat? **21** Quando scilicet voluit obedire in hiis tantum, que sibi placuerunt et sic voluit esse paciens, ut nichil minueretur de amicicia mundi. Nunc autem Dyabolus laborat, ut faciat eum totum cecum et mutum proponens ligare manus eius et pedes inuoluere et ducere ad tenebras inferni. **22** Tunc autem facit ipsum cecum, quando cogitat sic: 'Deus redemit me passione sua, non perdet me, quia misericors est; nec sic districte Deus examinat peccatum, sicut homo offendit omni hora.' **23** Ex istis probatur, quod fides sua non est stabilis. Ideo inquirat in Euangelio meo, quod ego rationem queram de verbis, quanto magis de operibus. Inquirat eciam, quod diues non pro rapina sepultus est in inferno sed quia abutebatur concessis. **24** Tunc vero facit Dyabolus eum mutum, quando audiens exempla amicorum meorum et verba dicit: 'Nemo poterit sic nunc viuere.' Ex isto probatur, quod habet modicam spem.

25 Ego enim, qui dedi amicis meis sic apte et caste viuere, ego et potens sum dare isti similia, si in me spem haberent. Tunc vero Dyabolus ligat ei manus, quando aliqua plus quam me diligit, quando feruencius implicatur mundo quam honori meo. **26** Ideo attendat, ne, dum mundo videtur intendere, supplantetur per Dyabolum, quia ibi Dyabolus ponit hamum, ubi minus precauetur. **27** Tunc eciam innectit pedes, quando cogitationes et affecciones suas non attendit, quando modum temptationum suarum non considerat, quando sic utilitati proximi et carnis intendit, quod de salute anime sue non attendit. **28** Propterea cogitet, quid ego dixi in Euangelio, quod homo ponens manum ad aratum non respiciat retro, et qui magis utile inchoauerit non retrocedat. **29** Tunc quoque Dyabolus vinculum ponit super cor eius, quando voluntatem eius sic ad mala inclinat, ut cogitet et velit in seculi honore esse et in tali disposicione perseuerare. **30** Dicit eciam eum ad tenebras, quando cogitat taliter: 'Utrum gloriam habeam vel supplicium, modicum est michi cure.' Ve ei, qui tales tenebras incurrit!

31 Verumptamen, si vertere se voluerit ad me, occurram ei quasi pater. Sed quomodo? Habendo scilicet voluntatem facere quantumcumque poterit. **32** Sicut enim non licet filio hominis recipere aliquam in coniugium contra voluntatem propriam, sic nec Filio Virginis licet. Voluntas enim est quoddam instrumentum, per quod caritas diuina introducitur in animam. **33** Sicut enim molendinarius volens prescindere lapides primo inquirit rimas, ubi primo imponit graciliora instrumenta, inde grossiora, donec lapis dissoluitur, **34** sic ego primo quero voluntatem bonam, in qua infundo graciā meam, deinde crescente opere et voluntate proficiente accrescit et maior gracia mea, donec cor lapideum conuertitur et crescit in cor carneum et cor carneum in cor spirituale."

Declaracio.

35 Hic fuit prior in partibus Cicilie prope montem volcanum, ad quem facta est iterum ista reuelacio sequens.

Addicio.

36 Filius Dei loquitur: "Frater iste miratur, quare apostoli mei Petrus et Paulus in isto loco cathacumbas tanto tempore iacuerunt quasi neglecti. **37** Respondeo tibi: Scriptura aurea dicit, quod Israel diu stetit in heremo, quia malicia gencium, quarum terras possessuri erant, nondum completa fuit. Sic eciam erat de apostolis meis. **38** Nondum erat tempus gracie, quo corpora apostolorum meorum exaltanda erant, quia prius debuit esse tempus probacionis et postea coronacionis, et quia nondum erant illi nati, quibus honor ille exaltacionis apostolorum debebatur.

39 Nunc autem potes querere, si aliquem honorem corpora eorum habebant eo tempore, quo corpora eorum in puteo iacuerunt. Respondeo tibi, quod angeli mei custodiebant et honorabant corpora illa beata, **40** quia sicut locus ille diligenter excolitur, ubi rose et plante seminande sunt, sic iste locus cathacumbas diu ante preparabatur et honorabatur, de quo angeli et homines letarentur. **41** Ideo dico tibi, quod in mundo multa loca sunt, ubi corpora sanctorum quiescunt, sed non similia huic loco. Nam si sancti numerarentur, quorum corpora reposita hic fuerunt, vix crederetur. **42** Ideo sicut homo infirmus ex bono odore et cibo reficitur, sic homines venientes ad hunc locum mente sincera recreantur spiritualiter et recipiunt veram peccatorum remissionem, unusquisque secundum vitam suam et fidem."

43 Hic idem frater ex verbis domine Birgitte multum compunctus audierunt tribus noctibus vocem dicentem: "Festina, festina! Veni, veni!" Et quarta die infirmatus sumptis sacramentis Rome defunctus est.

Christus loquens sponse dicit, quod tres sancti pre ceteris ei placuerunt scilicet virgo Maria, beatus Iohannes Baptista et Maria Magdalena; laudat quoque discretionem abstinentie, quam isti tenuerunt in cibo et sompno et vestimento. Capitulum CVIII.

1 Filius loquitur: "Tres sancti sunt, qui michi pre ceteris placuerunt, scilicet Maria Mater mea, Iohannes Baptista et Maria Magdalena. Mater igitur mea, quando et postquam nata fuit, sic erat pulchra, quod nulla erat in ea macula. **2** Quod bene cognoscentes demones sic egre tulerunt per similitudinem loquendo, quasi quod quedam vox demonum tunc sonuisse de inferno dicens: 'Una virgo tam virtuose et mirabiliter procedit, quod omnes superat in terra et in celo et peruenit usque ad sedem Dei. **3** Sed et nos, si procedimus contra eam cum omnibus laqueis nostris, omnes ipsa dissoluit, et sicut stuppe rumpuntur et sicut funes veteres dissoluuntur. **4** Si vero venimus contra eam cum omni malitia nostra et immundicia, omnia rescindit, sicut fenum rescinditur a falastro. Si autem immittimus ei voluptatem et mundi delectacionem, facilius omnia extinguntur quam scintilla a torrente aquarum.'

5 Nato vero Iohanne Baptista, eciam ipse displicuit demonibus in tantum, quod quasi vox quedam tunc sonuit de inferno dicens: 'Natus est puer mirabilis. **6** Quid faciemus? Si procedimus contra eum cum superbia, contempnemus audire nos et minus vult suggestioni nostre obedire; si pretendimus ei diuicias, vertit ad nos occiput et renuit videre, si voluptatem, quasi mortuus est et non potest sentire.'

7 Quando vero Maria Magdalena conuersa est, dixerunt demones: 'Quomodo reducemus eam? Pinguem enim predam perdidimus. Ipsa quippe in tantum se aquis lacrimarum lauat, quod non audemus aspectum nostrum in eam infigere. **8** Sic tegit se bonis operibus, quod nichil accedit ad eam de macula. Sic feruens est et calida in Dei seruicio et sanctitate, quod non audemus ei appropinquare.'

9 Itaque isti tres sic habuerunt animam suam quasi dominum, corpus vero suum quasi seruum. Quorum anima tria habuit: primo nichil dilexit nisi me, Deum suum; secundo nichil facere voluit contra me; tertio nichil amittere voluerunt, que erant Dei. **10** Ergo quamvis isti talem habuerunt animam, non tamen spreuerunt corpus suum nec dederunt ei venenum pro cibo nec spinas pro vestimento nec iacuerunt in cumulo formicarum, **11** sed habuerunt moderatam refectionem ad honorem mei et anime utilitatem vestimentumque ad corporis operimentum non ad superbiam, sompnum vero ad quietem et lectum ad alleuiacionem. **12** Verumptamen, si ipsi sciuisserent michi placuisse et ego dedisset eis graciam, libenter omnia amarissima recepissent in cibum et spinas pro veste et in cumulo formicarum iacuissent. **13** Sed quia considerabant me in omnibus iustum et misericordem, ideo sicut ad corpus fuerunt iusti per refrenacionem motuum illicitorum, sic et misericordes et racionabiles fuerunt ad indulgendum corpori, ne violencia laboris corpus rueret et ne laboris vehemens solueretur.

14 Nunc igitur poteris querere: Cum sancti heremite et antiqui illi patres tantam graciam habuerunt, quod quidam illorum non comederunt nisi semel in septimana, alii usi sunt cibo et ministerio angelorum, quare istis non dedi graciam talem? **15** Respondeo: Illi sancti patres tale ieunium obtinuerunt triplici de causa. Primo ad manifestandam graciam et potentiam meam, ut sciant homines, quod sicut animam sine corporali cibo sustento, sic eciam corpus sine cibo, si michi placeret, valeo sustentare. **16** Secundo propter exemplum ostendendum, ut ex eorum discant homines, quod corporalis labor et tribulacio trahit animam in celum. Tercio propter peccati vitacionem, quia voluptas carnis non refrenata trahit hominem ad penam. **17** Ergo ut homines addiscerent continenciam et modum viuendi, ego ipse Deus et homo, quamvis sine cibo viuere potuisse in mundo, tamen cibo et necessariis corporalibus usus sum, ut homo in omnibus regracietur michi Deo suo et solacium moderatum habeat in mundo et perfectam libertatem cum sanctis in celo.”

Maria loquitur dicens, quod homo spiritualis, postquam conuertitur labore penitentie et caritatis et contritionis et pacientie, redimere debet priora tempora perdita ad hoc, ut vacuas nuces non offerat Deo.

Capitulum CIX.

1 Maria loquitur: ”Ubi presentantur domino nuces, quandoque inter eas aliue inueniuntur vacue; que, ut acceptabiliores fiant domino, impleri debent. **2** Sic eciam in spiritualibus operibus est. Multi faciunt plura opera bona, propter que diminuitur peccatum, ut non incurant infernum. **3** Attamen ante illa opera bona et inter ea multa fuerunt tempora vacua, que necesse est ut impleantur, si tempus laborandi fuerit. Sin autem, contricio et caritas omnia supplent.

4 Sic Maria Magdalena obtulit nuces Deo, id est opera bona, inter quas nuces quedam erant vacue, quia longa tempora habuit ad peccandum; sed omnia illa supplebat iuuante tempore, pacientia et labore. **5** Sed et Iohannes Baptista obtulit nuces Deo quasi plenas, quia a iuuentute seruuit Deo offerens ei totum tempus suum. **6** Apostoli vero obtulerunt Deo nuces quasi semiplenas, quia ante conuersionem suam plura tempora habuerunt imperfecta. **7** Ego vero, que sum Mater Dei, obtuli nuces plenas et dulciores melle, quia a iuuentute mea impleta fui gracia et in gracia conseruata.

8 Ideo dico, quod quamvis peccatum dimissum sit homini, tamen tempora prius vacua, dum homo tempus habet, redimi debent pacientia et labore caritatis.”

Christus instruxit sponsam, qualis est differencia inter spiritum bonum et illusionem Dyaboli, et quomodo respondendum est utriusque. Capitulum CX.

1 Filius loquitur: "Quomodo intelligendus est spiritus meus, cum duo sint, spiritus scilicet bonus et malus? Ego dicam tibi: Spiritus meus est calidus et facit duo bona. Primo facit nichil desiderare nisi Deum, secundo dat summam humilitatem et mundi contemptum. **2** Spiritus vero malus est frigidus et calidus: frigidus, quia omnia que Dei sunt facit amara; calidus ideo est, quia hominem ad carnis inclinat voluptatem et mundi superbiam et ad laudem propriam instigat affectum. **3** Ipse quippe venit blandus quasi amicus sed est quasi canis mordens. Venit quoque quasi dulcis consolator sed est pessimus illaqueator. Ideo cum venit, dico ei: 'Nolo te, quia finis tuus est malus.' **4** Cum vero spiritus bonus venerit, dico: 'Veni, domine, quasi ignis et incende cor meum! Nam licet ego indigna sim habere te, tamen ego ex mea parte indigo te, quia tu non eris melior propter me nec indiges meis, sed ego ero melior per te et sine te sum nichil.'"'

Christus loquitur sponse de tribus legibus scilicet Ecclesie, imperatoris sed communitatis sed monet eam, quod ipsa viuat secundum quartam legem scilicet spiritualem diuinam, id est in humilitate et firma fide catholica et perfecta et caritate diuina omnia postponendo propter Deum, quia per ista acquiritur honor spiritualis et diuicie celestes in eterna gloria. Capitulum CXI.

1 Filius loquitur sponse dicens: "Tres leges sunt. Una est Ecclesie, secunda est imperatoris, tercia est communitatis. Iste omnes leges scribuntur in pellibus animalium mortuorum. **2** Sed est alia lex spiritualis, que non scribitur in pellibus sed in libro vite, que numquam perditur nec vetustate corrumpitur, numquam habetur tedium nec cum difficultate possidetur. **3** Omnis itaque lex bona ordinari debet ad salutem anime et ad precepta Dei perficienda et ad desideria mala fugienda et ad bona opera, que desiderari discrete debent, querenda. Nunc autem in lege, que scribitur in pellibus, est unum verbum, quod dicitur 'obtinere aliquid'. **4** Ergo ut aliquis obtineat aliqua, unum de quatuor est necesse: aut enim datur alicui donum propter caritatem et familiaritatem expertam aut propter humilitatem aut propter diuisionem aut propter humilitatis et seruitutis opera impensa.

5 Similiter est de lege spirituali. Nam lex spiritualis est Deum intelligere et diligere et eo frui; et in hac lege est honor et spirituales diuicie, **6** scilicet creata omnia commutare in creatorem, voluntatem propriam pro Deo relinquere, virtutes diligere et pro celo dare mundum. **7** Itaque iste diuicie obtainentur quadrupliciter. Primo per caritatem: sicut enim dominus temporalis alicui tribuit dona ex caritate, licet non precedant merita, sic ego ex bonitate mea creaui hominem et redemi et supporto cotidie et super ingratitudine eius honoro eum. **8** Insuper et quicumque me diligit toto corde et nichil nisi me desiderat habebit virtutem in terra, que scribitur in corde digito Dei, et honorem in celo, qui scribitur in libro vite, qui est vita eterna.

9 Secundo obtainetur honor spiritualis propter hereditatem. Ego quippe per humanitatis mee assumptionem et passionem homini emi celum et aperui hereditario iure. **10** Sicut enim homo hereditatem diuinam quodammodo vendidit Dyabolo recipiendo pomum modicum in permutacionem pro delectacione eterna, cibum vetitum pro ligno vite, falsitatem pro veritate, **11** sic ego obediendo Patri discerpsi litteram inobedientie per amaritudinem cordis mei, satisfeci pro dulcedine pomi, per mortem meam promerui homini lignum vite, per fidem humanitatis mee reduxi hominem et institui omnem veritatem. **12** Ergo

quicunque credit verbis veritatis mee et imitatur me, hic per hereditatem obtinebit diuicias spirituales et graciā meam.

13 Tercio obtinetur honor spiritualis propter diuisionem, scilicet quando homo diuidit et separat se ab omni delectacione deliciarum carnalium et conuertit voluptatem carnis in abstinentiam, diuicias in paupertatem, honorem in abiectionem, parentes terrenos in amicorum Dei collocucionem, visionem mundi pro visione Dei. **14** Quarto obtinetur honor spiritualis propter humilitatis et seruitutis opera, scilicet quando homo in seruicio Dei et pacienza militat quasi miles validus in bello, **15** seruit in humilitate et fidelitate quasi seruus, dispensat sibi commissa misericorditer et iuste sicut bonus dispensator et vigilat contra temptationes sicut bonus speculator. **16** Hic est dignus habere honorem et spirituales diuicias, que non scribuntur in pellibus animalium sed in anima, quia gradus triplicis legis scripte utilis est ad perficiendam iusticiam, sed lex spiritualis suavis est ad fructum percipiendum.

17 Ergo, filia, quere honorem spiritualem obtinere per caritatem scilicet nichil diligendo sicut me, quere per hereditatem scilicet credendo firmiter illa, que precipit Ecclesia, quere per opera humilitatis omnia scilicet faciendo pro honore meo. **18** In lege quippe mea tu vocata es, ideo et legem meam seruare teneris. Lex vero mea est viuere secundum voluntatem meam. Sicut enim bonus clericus viuit secundum legem Ecclesie, sic et tu viue secundum legem humilitatis mee conformando te amicis meis. **19** Nam omnis lex temporalis partim tendit ad honorem mundi et partim ad contemptum eius. Mea vero lex sola tendit ad celestia, quia ante me et post me nullus intelligit plene, qualis et quam gloriosa est celestis regni suauitas, sicut ego et ille, cui voluero reuelare.”

Christus loquitur sponse dicens, quod caueat diligenter a vicio superbie, ne extollatur de pulchritudine membrorum aut de bonis seu de progenie. Nam superbus comparatur papiloni, qui habet alas latas et modicum corpus. Capitulum CXII.

1 Filius loquitur ad sponsam: ”Noli turbari de superbia istorum, que cito transiet. Est enim quoddam genus muscarum, quod vocatur papilio. Hoc habet latas alas et modicum corpus. Secundo habet multiplices colores. **2** Tercio volat alte propter subtilitatem suam et leuitatem, sed ascendens in aerem, quia modicum habet fortitudinis in corpore, cadit cicius in quodcumque est vicinius, siue ad lapides siue ad ligna.

3 Istud genus muscarum significat superbos, qui habent latas alas et modicum corpus, quia mens eorum intumescit superbia quasi pellis inflata vento creduntque se omnia habere pro meritis suis et preferunt se ceteris arbitrantes se ceteris digniores; **4** qui et nomen suum extenderent per totum mundum, si possent, Sed quia vita eorum breuis est quasi unus punctus, ideo, cum non recogitant, cadunt. **5** Secundo superbi habent multiplices colores sicut papilio, quia superbiunt de pulchritudine membrorum, de bonis et de progenie, et iuxta omnem superbie sue adiuencionem mutant statum suum. Sed cum moriuntur non sunt nisi terra. **6** Tercio superbi, cum in altissimum gradum superbie ascenderint, periculose et in momento cadunt in mortem.

7 Ideo caueat tibi a superbia, quia ipsa subtrahit faciem Dei ab homine nec gracia mea ingreditur ad eum, quem ipsa possidet.”

Christus monet sponsam, quod humiliter viuat nec curet de magna fama et nomine, quia ipse ad predicandum euangelium non elegit magnos doctores sed humiles piscatores. Qui enim laborant ad acquirendum sibi in hoc mundo magnum nomen, grauiter in inferno punientur. Capitulum CXIII.

1 Filius loquitur: "Legat Scripturas, qui voluerit, et inueniet, quod de pastore feci prophetam et spiritu prophecie repleui iuuenes et ydiotas. Verum, quamuis non omnes receperint verba mea salutis, tamen, ut innotesceret caritas mea, ad plerosque verba mea peruerterunt. **2** Similiter ad predicandum euangelium non elegi doctores sed piscatores, ne gloriarentur de sapiencia sua et ut intelligent omnes, quod, sicut Deus in se est mirabilis et inexcogitabilis, sic et opera eius inscrutabilia sunt et in minimis maxima operatur. **3** Omnis itaque homo qui vadit post mundum ad habendum gloriam eius et voluptatem suam perficiendam, hic talis magnum onus imponit sibi.

4 Ecce dico tibi exemplum de uno viro. Ipse toto desiderio ibat post mundum, qui nomen magnum acquisiuit sibi a mundo et maximum onus peccati imposuit dorso suo. **5** Ideo magnum nomen nunc habet in inferno, maximum vero onus pro premio excellencioremque locum in supplicio. Nam in locum illum quidam descenderunt ante eum, aliqui cum eo, alii post eum. **6** Illi vero ante eum descenderunt, qui eum ad maliciam suam dilatandam confortabant auxiliis et consiliis suis. Cum ipso vero descenderunt retribuciones operum suorum. Sed illi descendedent post eum qui exempla eius imitabantur.

7 Ideo primi clamant ad eum quasi de prelio et dicunt: 'Quia obedisti consiliis nostris, ideo ardemus de presencia tua. Propterea maledictus sis tu et suspendio illo dignus, ubi funis non rumpitur, sed ignis manet perpetuus, confusio quoque sit tibi pessima pro superbia et ambitione tua.' **8** Opera vero eius clamant et dicunt: 'O, miser, terra non potuit pascere te cum fructu suo, ideo concupisti omnia. Aurum et argentum non valuerunt implere desiderium tuum, ideo vacuus relictus es ab omnibus. **9** Propterea viuentes corui dilaniabunt animam tuam, que discerpetur et numquam minuetur, liquecet et tamen viuet.'

10 Illi vero, qui post eum descenderunt, clamant: 'Ve tibi, quia natus es. Voluptas tua vertetur tibi in odium Dei in tantum, quod nolis unum verbum loqui, quo Deus possit consolari. **11** Itaque sicut in amore et honore Dei est omnis consolacio et delectacio bona et gaudium ineffabile, quo et nos propter tui imitationem sumus indigni, **12** sic tibi sit tristitia et discordia ex demonum societate, deformitas pro honore, ardor pro libidine, frigus pro tui amore, nulla requies pro carnis consolacione. **13** Insuper et pro magno nomine, quod indigne portasti, sit tibi maledic和平, pro sede vero gloriosa sit tibi despctissimus locus.'

14 Ecce per similitudinem loquendo talia merentur, qui talibus ultra constitutionem Dei implicantur."

Addicio.

15 Quidam miles semper studebat inuenire nouos modos, et multos verbis et exemplis traxit ad perditionem. Hic idem inuidens domine Birgitte, cum non auderet iniuriam loqui sibi per se ipsum, incitauit quandam, qui se fingebat ebrium, ut eidem domine Birgitte verba contumeliosa loqueretur. **16** Qui quidem domine sedenti in mensa dixit audientibus magnatibus: "O, domina, nimis sompnias, nimis vigilas. Expedit tibi plus bibere et plus dormire. Numquid Deus reliquit religiosos et cum superbis mundi loquitur? Vanum est verbis tuis dare fidem."

17 Illo itaque loquente circumstantes volebant vindicare in eum, sed domina prohibuit dicens: "Permitte eum loqui, quia Deus misit eum. Ego enim, que in tota vita mea quesui laudem meam et blasphemauit Deum, quare non audiam iusticiam meam? Iste enim dicit michi veritatem."

18 Quod audiens dominus ille compunctus est et reconciliatus est domine. Venit Romam et ibi laudabili fine quieuit.

Christus monet sponsam, quod caueat a conuersacione mundialium, que est quasi affatura Dyaboli. Virgo Maria eciam instruit eam, quod in omnibus operibus suis virtuosis habeat intencionem rectam, ut scilicet honor Dei augeatur, quia multi seruiunt Deo opere sed intencio eorum corrupta obfuscatur omne bonum.

Capitulum CXIII.

1 Filius loquitur: "Attende tibi de affatura Dyaboli, quam Dyabolus igne luxurie et cupiditatis decoquuit. Ubi enim pinguedo applicatur igni, necesse est quod aliquid inde distillet. **2** Sic ex conuersacione et societate mundialium procedunt peccata. Quamvis autem omnium ignoras conscientias, tamen exteriora signa produnt, quod in animo latet intus."

3 Item loquitur Mater: "Omnis accio tua sit racionabilis et intencio tua recta, ut omne quod agis ea intencione facias, ut honor Dei perficiatur et utilitas anime delectacioni corporis preferatur. **4** Nam multi seruiunt Deo opere, sed intencio corrupta obfuscatur omne bonum, sicut per exemplum intelligere poteris. Est quoddam animal quod vocatur ursus. **5** Hoc cum inedia afficitur et videt predam desideratam, unum pedem infigit prede et cum alio querit, ubi figat eundem pedem fortiter, ne preda sibi euadat aut forte subtrahatur, donec comedat et vertat eam ad suam voluntatem. **6** Hic ursus sine intermissione respicit predam nec querit aurum nec redolentes herbas et arbores, sed solummodo locum absconditum et securum seu obstaculum quoddam, ut securius et fiducialius teneat predam quam accepit.

7 Sic multi seruiunt michi oracionibus et ieuniis ex timore quodam, quia considerant penam horribilem et misericordiam meam magnam. Querunt me operibus exterioribus aliquibus, sed voluntate faciunt contra mandata Filii mei. **8** Nam sicut ursus, sic et isti totam intencionem habent ad carnis voluptatem et cupiditatem mundi, sed quia timent amissionem vite et supplicium futurum, ideo seruiunt michi ea intencione, ne amittant graciam et ne incurvant penam. **9** Et hoc bene patet, quia numquam considerant passionem Filii mei, que est tamquam aurum preciosissimum, nec imitantur vitas sanctorum, qui sunt tamquam lapides preciosi, **10** nec attendunt dona Spiritus sancti tamquam herbas odoriferas, nec relinquentes propriam voluntatem faciunt voluntatem Filii mei, sed solummodo inniti volunt, ut fiducialius peccent et ut prosperentur in mundo. **11** Quorum retribucio breuis erit, quia de frigido corde eorum processit opus. Et sicut ursus consumpta preda non curat de firmamento pedum, quod habuit, sic veniente hora finis et completa voluptate carnis modicum eis valet firmamentum meum, **12** quia non reliquerunt voluntatem suam, ut facerent meam, nec caritate me quesierunt sed timore. Verumtamen, si perfecte corrigitur voluntas, opus cicius renouabitur et voluntas bona, si opus defuerit, pro opere reputatur."

Addicio.

13 Hic fuit prepositus, qui ad velle suum vixit, qui veniens Romam multum laudabiliter correxit vitam suam. Qui cum visitasset montem Garganum et sanctum Nicolaum et redisset ad dominam, **14** cuius consilio totus stetit, dixit inter alia se multum mirari, quare illa magna et famosa ciuitas Sipontina, ubi tot sanctorum corpora quiescunt, delecta erat.

15 Tunc sequenti die Filius Dei apparet dixit domine: "Ille amicus tuus miratur de ciuitate que delecta est. Vere, filia, hoc meruerunt peccata inhabitancium. **16** Nam eciam alie ciuitates meruerunt consimilia, sed unus amicus meus habitabat ibi, qui perfectam habens ad me caritatem continue increpabat et impugnabat mores eorum; **17** qui videns obstinationem eorum rogabat me cum lacrimis, ut magis desolaretur locus quam tot anime cotidie periclitarentur. Ego vero videns lacrimas eius et quia nullus se perfecte poneret ad placandum me, permisi ea fieri que nunc audiuntur."

18 Cui illa: "O," inquit, "Domine, dolendum est, quod multorum eciam bonorum reliquie et corpora iacent ibi tamquam immunda et sine muro." **19** Respondit Christus: "Sicut ego habeo animas electorum meorum in me ipso, sic eciam curam habeo de reliquiis amicorum meorum, que thesaurus meus sunt, donec recipiant duplia eis re promissa."

20 Item loquebatur domina: "O, Domine mi carissime, ego credo, quod illi loco Siponti multe gracie et remissiones concesse fuerant a pontificibus. Numquid quia muri destructi sunt, eciam gracie abolite sunt?" **21** Respondit Christus: "Quis locus sancctorum est Ierusalem, ubi ego ipse Deus impressi vestigia mea? Quis locus nunc despiciens, qui ab infidelibus inhabitatur et conculcatur? Attamen quicumque in Ierusalem veniunt, eandem priorem graciem inuenient et remissionem. **22** Simile est de loco illo: quicumque venerit ad eum ex caritate et perfecta voluntate, participabitur eadem gratia et benedictione quam ciuitas illa habuit tempore, quo stabat in gloria sua propter fidem venientium et laborem caritatis."

Christus loquens response modo liberacionis cuiusdam demoniaci dicit ei, quod sicut corpus habet membra extra corporaliter, sic anima habet eciam membra intus spiritualiter; et declarat illa Dominus valde pulchre. Capitulum CXV.

1 Filius loquitur: "Tu es quasi quedam rota, que precedentem sequitur. Sic tu voluntatem meam sequi debes. Dixi tibi prius de quodam, cuius animam Dyabolus possidet; nunc dicam tibi, in quo membro captiuatus est. **2** Ego sum similis homini, qui dicit lictori suo: 'Tres sunt in domo tua custodie. In prima sunt illi qui digni sunt carere vita. In secunda sunt illi qui priuandi sunt aliquo membrorum. In tercia stant illi qui flagellandi sunt et priuandi cute.' **3** Cui dicit lictor: 'Domine, si aliqui priuandi sunt vita, alii mutilandi et flagellandi, cur differtur iudicium? Si enim cieci iudicarentur, obliuiscetur eorum dolor.'

4 Respondit dominus: 'Illa que ego facio sine causa non facio. Nam qui priuandi sunt vita, expectandi sunt ad tempus, ut boni videntes miserias eorum meliores fiant, et mali timeant et de cetero fiant cauiores. **5** Qui vero mutilandi sunt, necesse est ut tribulantur prius, quatenus retractent in corde sua mala que fecerant et doleant de commissis. Qui autem flagellandi sunt eciam debent dolore probari, ut cognoscant se in dolore, qui se in leticia neglexerunt, et tanto sollicius talia committere caueant, quo laboriosius sunt liberati.'

6 Ego igitur sum dominus ille qui Dyabolum habeo tamquam lictorem ad vindictam malorum iuxta merita singulorum; cui potestas super animam istius data est, sed in quo membro indicabo tibi nunc. **7** Sicut enim corpus per membra dispositum est extra, sic anima disponi debet intus spiritualiter. Nam sicut corpus habet medullam, ossa et carnem, in carne vero sanguinem et carnem in sanguine, sic anima debet habere tria, scilicet memoriam, conscienciam et intellectum. **8** Sunt enim quidam qui sublimia de scripturis intelligunt sed nullam habent rationem; hiis deficit unum membrum. Alii vero sunt qui racionabilem habent conscienciam sed nullam intelligenciam. **9** Alii vero habent intellectum sed non memoriam; et isti grauiter infirmantur. Sed illi sani sunt in anima, qui rationem habent sanam et memoriam et intellectum.

10 Item corpus habet tria receptacula. Primum est cor, super quod est una membrana gracilis defendens, ne aliquid immundum attingat ad cor. Si enim minima macula ad cor attingeret, statim homo moreretur. Secundum receptaculum est stomachus. Tercium sunt viscera, per que purgantur nocua. **11** Sic eciam anima spiritualiter debet tria habere receptacula. Primum est desiderium diuinum tamquam cor, ut anima nichil feruencius desideret quam me, Deum suum. Alioquin, si aliquis prauus affectus quamuis minimus intrauerit, statim anima maculatur. **12** Secundum est stomachus, id est discreta disposicio temporum et operum. Sicut enim omnis cibus liquevit et digeritur in stomacho, sic omne tempus et cogitatus et opus secundum diuinam constitutionem disponatur ordinate, utiliter et sapienter. **13** Tercium receptaculum sunt viscera, id est diuina contricio, per quam purgantur immunda et cibus diuine sapiencie melius sapit.

14 Item corpus habet tria, quibus se promouet, scilicet caput, manus et pedes. Caput notat diuinam caritatem. Sicut enim in capite sunt omnes quinque sensus, sic in diuina caritate dulciter sapit anime quidquid dicitur et auditur et videtur de Deo, quidquid eciam iubetur constanter adimpletur. **15** Itaque sicut sine capite homo est mortuus, sic sine caritate mortua est anima ad Deum, cuius vita est Deus. Manus vero anime significant fidem. Sicut enim in manu plures sunt digiti, sic in fide multi articuli, quamuis sit una fides. Itaque per fidem omnis diuina voluntas perficitur et omni operi bono ipsa cooperari debet. **16** Sicut enim per manus opus fit abextra, sic per fidem Spiritus sanctus operatur intus. Ipsa quippe fides est sustentamentum omnium virtutum, quia ubi fides non est annichilatur caritas et opus bonum.

17 Pedes vero anime sunt spes; per hanc enim anima procedit ad Deum. Sicut enim corpus procedit pedibus, sic anima passibus diuini desiderii et spei Deo appropinquat. Cutis vero, que est super omnia membra, significat consolacionem diuinam, que animam imperturbabilem consolatur. **18** Et quamvis Dyabolo permittatur quandoque perturbare memoriam, quandoque manus et pedes, tamen Deus semper defendit animam quasi pugil et consolatur eam quasi pater et quasi medicus medetur, ne moriatur.

19 Itaque anima istius hominis, de quo tibi dixi, tunc captiuata fuit, quando digna fuit priuari manibus propter fidei instabilitatem, quia non habuit fidem rectam. **20** Sed quia iam est tempus miserendi duplice de causa, primo propter caritatem meam, secundo propter preces electorum meorum, ideo amicus meus legat super eum prius dicta verba. **21** Tria vero ille facturus est, primo restituat male acquisita, secundo procuret sibi absolucionem de Romana curia de inobedientia sua, tercio quod ante absolucionem non recipiat corpus meum in sacramento communionis.”

Christus conqueritur response de gentilibus et Iudeis et per maxime de malis christianis ex eo, quod sancta sacramenta non recipiunt deuote et mundo sicut decet, et ex eo, quod negligunt creacionem et redencionem et diuinam consolacionem. Capitulum CXVI.

1 Filius loquitur: "Ego loquor tibi per similitudinem, quasi essent tres homines. Primus diceret: 'Ego nec credo te esse Deum nec hominem,' et hic talis est gentilis. **2** Secundus, id est Iudeus, credit me esse Deum sed non hominem. Tercius, id est Christianus, credit me esse Deum et hominem sed non credit verbis meis.

3 Ego sum ille super quem vox Patris audiebatur: 'Hic est Filius meus' et cetera. Ideo conqueror ex parte deitatis mee, quod homines nolunt me audire. **4** Ego clamabam et dixi: 'Ego sum principium: si creditis michi, habebitis vitam eternam;' sed contempserunt. Ipsi viderunt potentiam deitatis mee, quando suscitabam mortuos et multa alia et tamen non attenderunt.

5 Conqueror eciam ex parte humanitatis, quia ea que in sancta Ecclesia institui nullus curat. Ego quippe posui in Ecclesia quasi septem vasa, quibus omnes purificantur. **6** Institui enim baptismum in purgacionem originalium peccatorum, crisma in signum diuine reconciliacionis, oleum sanctum in robur contra mortem, penitenciam in remissionem omnium peccatorum, verba sancta, quibus sacramenta sanctificantur et instituerentur, sacerdotium in dignitatem et recognitionem et rememoracionem diuine caritatis, coniugium in cordium unionem. **7** Hec recipi debent cum humilitate, custodiri cum puritate, erogari sine cupiditate; sed iam suscipiuntur cum superbia, custodiuntur in vasis immundis, erogantur cum cupiditate.

8 Conqueror eciam, quod pro salute hominum natus et mortuus fui, ut, si homo nollet me diligere, quia creauit eum, saltem diligeret me, quia redemi. Sed nunc homines eiciunt me de corde suo quasi leprosum et abhominantur me quasi pannum immundum. **9** Conqueror eciam ex parte deitatis, quod consolacionem eiusdem deitatis homines nolunt et caritatem eius non attendunt."

*Quod vere desiderantibus Deum ipse statim occurrit et consolatur eos quasi pius pater et difficilia facit eis
facilia. Capitulum CXVII.*

1 Quodam legente Pater noster audiuit sponsa quomodo tunc ait Spiritus: "Amice, respondeo tibi ex parte deitatis, quod habebis hereditatem cum Patre tuo. Secundo ex parte humanitatis, quod eris templum meum. **2** Tercio ex parte Spiritus, quod non habebis temptationes supra id quod possis ferre. Pater enim defendet te, humanitas astabit tibi, Spiritus te inflammabit."

3 Sicut enim mater, quando audit vocem filii sui, occurrit ei gaudenter et sicut pater videns filium operantem occurrit ei in media via et subleuat cum eo onus, sic ego amicis meis occurro et omnia difficilia facio eis facilia et portare cum hilaritate. **4** Et sicut aliquis videns aliquid desiderabile non consolatur, nisi vicinus appropinquet, sic ego desiderantibus me appropinquo."

Addicio.

5 Hic frater vidit in manu sacerdotis tempore eleuacionis corporis Christi in specie pueruli Dominum nostrum Iesum Christum dicentem sibi: "Ego sum Filius Dei et Filius Virginis." **6** Hic eciam obitum suum et horam ad unum annum preuidit, de quo habetur in multis capitulis in legenda sancte domine; qui quidem frater vocabatur Gerekinus.

Christus loquitur sponse dicens, quod illos trahit Pater ad se eorum voluntatem bonam perficiendo in bono, quos videt voluntatem malam commutare libenter in bonam cum desiderio emendandi commissa.

Capitulum CXVIII.

1 Filius loquitur: "Qui michi sociari voluerit debet voluntatem suam conuertere ad me et penitere de commissis, et tunc trahitur ad perfeccionem a Patre meo. **2** Illum quippe trahit Pater, qui voluntatem malam mutans in bonam libenter desiderat emendare commissa.

3 Sed quomodo trahit Pater? Certe voluntatem bonam perficiendo in bono. Nisi enim affectus esset bonus, Pater non haberet, quid traheret. **4** Sed quibusdam sum ita frigidus, quod via mea nullo modo placet eis, aliis vero ita calidus, quod si aliqua bona debent facere, videntur quasi quod sint in igne. **5** Aliis sum ita dulcis, quod nichil nisi me desiderant. Hiis ego dabo leticiam numquam finituram."

Mater narrat septem bona, que sunt in Christo, et septem contraria, que rependebantur ei ab hominibus.

Capitulum CXIX.

1 Mater loquitur: "Filius meus habet septem bona. Est enim potentissimus quasi ignis omnia consumens, secundo sapientissimus, cuius sapienciam nullus valet comprehendere sicut nec haurire mare, tertio fortissimus quasi mons immobilis, **2** quarto virtuosissimus sicut herba apia, quinto est pulcherrimus quasi sol splendens, sexto iustissimus quasi rex nulli parcens contra iusticiam, septimo piissimus sicut dominus dans se ipsum pro vita serui sui.

3 Econtra ipse pertulit alia septem. Nam pro potencia factus est quasi vermis, pro sapiencia reputatus est insipientissimus, pro fortitudine quasi puer fasciolis ligatus, **4** pro pulchritudine quasi leprosus, pro virtuositate stabat nudus et ligatus, pro iusticia reputabatur mendax, pro pietate mortuus est."

Christus dicit sponse, quod due sunt delectaciones, scilicet spiritualis et carnalis; spiritualis delectacio est, quando anima delectatur in beneficiis Dei. Capitulum CXX.

1 Filius loquitur: "Inter me et illum est quedam membrana, pro qua non delectat illum dulcedo mea, quia aliquid delectat eum preter me." Et sponsa, que hec audiebat, ait ad Dominum: "Numquid aliquam delectacionem habere umquam poterit?" **2** Respondit Dominus: "Duplex est delectacio, spiritualis et carnalis. Carnalis vel naturalis delectacio est, quando necessitate requirente reffecio sumitur, in qua sic debet homo cogitare: **3** 'O, Domine, quia refici iussisti nos ad solam necessitatem, laus sit tibi, et da michi graciā, ut in sumptione non subrepas michi peccatum.' **4** Si vero temporalium bonorum delectacio oriatur, cogitet homo taliter: 'O, Domine, omnia terrena non sunt nisi terra et transitoria. Ideo da michi ea sic disponere, ut de omnibus tibi sciam reddere racionem.'

5 Spiritualis delectacio est, quando anima delectatur in beneficiis Dei et temporalibus utitur et occupatur inuitus et ad solam necessitatem; sed membrana tunc frangitur, quando Deus est dulcis anime et timor eius continuus est in mente.”

Quod non habitus sed virtus obediencie et obseruancia regularis facit monachum; et quod vera cordis contritio cum proposito emendandi eripit animam de manu Dyaboli, licet non perfecte peniteat. Capitulum CXXI.

1 Apparuit Dyabolus et dixit: “Ecce auolauit monachus et sola remanet effigies.” Et Dominus ait ad eum: “Expone,” inquit, “que notas.”

2 Respondit Dyabolus: ”Hoc faciam sed inuitus. Monachus verus est custos sui; huius habitus est obediencia et obseruancia professionis sue. **3** Sicut enim corpus tegitur veste, sic anima virtutibus. Ergo non valet habitus exterior, nisi interior seruetur, quia monachum non facit vestis sed virtus. **4** Hic monachus auolauit, quando cogitauit sic: ‘Ego cognosco peccatum meum et emendabo de cetero numquam amplius peccaturus gracia Dei.’ Ex ista enim voluntate recessit a me et iam est tuus.”

5 Cui Dominus: ”Quomodo,” inquit, ”remanet effigies?” Et demon: ”Quando,” inquit, ”non reducit ad memoriam peccata commissa nec perfecte, ut deberet, penitet de commissis.”

Declaracio.

6 Hic frater vidit in manu sacerdotis tempore eleuacionis corporis Christi in specie pueruli Dominum nostrum Iesum Christum dicentem sibi: **7** ”Ego sum Filius Dei et Filius Virginis.” Hic eciam obitum suum et horam ad unum annum preuidit, de quo habetur in multis capitulis in legenda sancte domine. Qui quidem frater vocabatur Gerechinus. **8** Hic eciam fuit vite continentissime, qui moriturus vidit scripturam auream, in qua continebantur tres litere auree: ”p” et ”o” et ”t”. **9** Qui narrans hec fratibus dixit: ”Veni, Petre, festina, Olaue et Thordo.” Quibus vocatis obdormiuit. Illi vero tres nominati in una septimana sequebantur eum.

10 De eodem fratre habetur Extra. LV capitulo: Quidam monachus sancte vite et cetera.

Quod vita hominis dissoluti et tepidi est quasi pons artus et periculosus, de quo si non vertat se cito saltando in nauem vite, penitencie et virtutum, precipitabitur ab inimico demone in chaos profundum.

Capitulum CXXII.

1 ”Ille est meus capitalis inimicus, quia deridet me in ioco. Omnem voluntatem et cupiditatem suam implet, prout potest. **2** Ipse est sicut ille qui iacet in ponte arto, in cuius parte sinistra est chaos maximum, ubi qui descendet non consurget. In dextera vero est nauis, in qua si saltauerit laboriose euadet, attamen spes est vite. **3** Iste pons vita sua est lamentabilis et breuis, in qua non stat ut homo viriliter decertans nec sicut homo peregrinus, progrediens cotidie et proficiens in via, sed stat iacens ut accidiosus, desiderans bibere

aquas voluptatis. **4** Duo itaque instant ei. Si enim surrexerit de ponte, aut veniet in abyssum, id est ad inferni profunda, si vertit se ad sinistram, id est ad opera carnis; **5** aut, si saltauerit in nauem, laboriose euadet, quia si assumpserit Ecclesie sancte rigorem et institutionem, laboriosum sibi est, attamen per hec saluabitur. **6** Ergo vertat se cicius, ne inimicus precipitet eum de ponte, quia tunc clamabit et non audietur sed in eternum punietur.”

Addicio.

7 Hic videns regem immutatum nec se more solito apud eum audiri, inuidens domine Birgitte, cum pertransisset per quandam angustam plateam, effudit ab alto aquam de fenestra super eam, que dixit astantibus: ”Parcat ei Deus et non reddat in seculo futuro.” **8** Tunc Christus apparuit domine in missa dicens: ”Ille homo, qui fudit super te aquam de fenestra ex inuidia, sanguinem sitit, sanguinem fudit, terram desiderat et non me. **9** Audacter loquitur contra me, carnem suam colit pro me Deo, me a se et corde suo exclusit; caueat sibi ne in sanguine moriatur.” **10** Post hec homo ille modico tempore vixit et fluxu sanguinis fluente de naribus eius mortuus est sicut ipsa predixit.

Christus defendit sponsam suam Birgittam, id est animam conuersam de mundo ad vitam spiritualem, quam pater et mater, soror et frater conabantur reuocare ab amore eius et casto matrimonio. Capitulum

CXXIII.

1 Filius loquitur sponse: ”Ego sum quasi sponsus, qui despontauit sibi sponsam, quam pater et mater, soror et frater repetunt.

2 Pater enim dicit: ’Redde michi filiam meam, quia de sanguine meo nata est.’ Mater dicit: ’Redde filiam, quia lacte meo nutrita est.’ **3** Soror dicit: ’Redde sororem, quia tecum educata est.’ Frater dicit: ’Redde sororem, quia meum est regere eam.’ **4** Quibus respondit sponsus: ’O, pater, si de sanguine tuo nata est, nunc sanguine meo repleri debet. O, mater, si tu pauisti eam lacte tuo, sic ego nunc pascam delectacione mea. **5** O, soror, si secundum consuetudinem tuam educata est, sic nunc tenebit consuetudinem meam. O, frater, si tu rexisti eam usque modo, ita nunc meum est regere eam.’

6 Sic tecum factum est. Nam si pater, id est voluptas carnis, repetit te, meum est replere te caritate mea. Si mater, id est cura mundi, repetit te, meum est pascere te lacte consolacionis mee. **7** Si soror, id est consuetudo mundane conuersacionis, repetit te, pocius teneris facere consuetudinem meam. Si frater repetit te, id est voluntas propria, tu obligaris facere voluntatem meam.”

Quomodo beata Agnes imponebat sponse Christi coronam de septem lapidibus preciosis, scilicet paciencie in tribulacionibus. Capitulum CXXIII.

1 Agnes loquitur ad sponsam Christi dicens: ”Veni, filia, et impone tibi coronam factam ex septem lapidibus preciosis. Quid vero est corona nisi probacio pacientie, que ex tribulacionibus conflatur et a Deo coronis adornatur?

2 Primus igitur lapis corone tue est iaspis; quem apposuit tibi ille qui contumeliose tibi dixit se nescire, quo spiritu loquebaris, et esse tibi utilius mulierum more subtiliter filare quam de scripturis disputare. **3** Ideo sicut iaspis acuit visum et accendit gaudium animi, sic Deus ex tribulacione accendit gaudium in animo, intellectum illuminat ad spiritualia, mortificat animam a motibus inordinatis.

4 Secundus lapis est saphirus, et hunc apposuit tibi ille qui fauorabilia loquebatur in facie tua et in dorso detrahebat de te. **5** Sicut ergo saphirus est celestis coloris et seruat membra in sanitatem, sic hominum malicia probat iustum, ut fiat celestis, et seruat membra anime, ne superbia eleuetur. **6** Tercius lapis est smaragdus. Hunc apposuit tibi ille qui dixit te dixisse ea que nec cogitabas nec loquebaris. **7** Ideo sicut smaragdus est fragilis ex se sed tamen pulcher et viridis coloris, sic mendacium cicius adnichilatur sed tamen pulchram facit animam propter pacientie remuneracionem.

8 Quartus lapis est margarita. Hunc apposuit tibi ille qui amicum Dei te presente vituperavit; ex cuius vituperio plus quam de tuo turbabar. **9** Ideo sicut margarita est alba et pulchra et alleuiat cordis passionem, sic dolor caritatis introducit Deum in animam, compescitque passiones ire et impaciencie. **10** Quintus lapis est topazius. Hunc apposuit tibi ille qui amara loquebatur tibi, cui tu e contrario benedixisti. **11** Ideo sicut topazius est aurei coloris et seruat castitatem et pulchritudinem, sic nichil pulchrius et accepcius est Deo quam ledentem se diligere et pro consequentibus exorare.

12 Sextus lapis est adamas. Hunc apposuit tibi ille qui fecit tibi corporale dampnum, quem pacienter tolerasti et noluisti eum de honestate. **13** Ideo sicut adamas non frangitur tensionibus sed sanguine hircino, sic placet Deo hominem obliuisci et negligere propter Deum corporale dampnum et cogitare semper ea que Deus propter hominem fecit. **14** Septimus lapis est carbunculus. Hunc apposuit tibi ille qui falsa annunciauit tibi, scilicet filium tuum Karolum esse mortuum, et pacienter tulisti committens voluntatem tuam Deo. **15** Ideo sicut carbunculus lucet in domo et in anulo est pulcherrimus, sic qui paciens est in amissione alicuius rei carissime sibi prouocat Deum ad dilectionem sui, et in conspectu sanctorum lucet et placet sicut lapis pretiosus.

16 Ideo, filia, sta stabilis, quia pro amplianda corona tua adhuc aliqui lapides sunt necessarii. Nam Abraham et Iob meliores et magis noti seu famosiores facti sunt ex probacione, et Iohannes sancior ex testimonio veritatis.”

Mater Dei loquitur filie response Christi ponens figuram pulchram de septem animalibus, per que quatuor genera viciosorum et tria genera virtuosorum hominum notabiliter designantur. Capitulum CXXV.

1 Mater loquitur: ”Septem sunt animalia. Primum habet cornua ingencia, ex quibus intumescens et contra alia animalia bellum faciens cicius moritur, quia propter ingencia cornua non habet velocitatem currendi sed a sentibus et stipitibus retinetur. **2** Secundum animal est paruum habens unum cornu et sub ipso pretiosum lapidem. Hoc animal non capitur nisi per virginem, qua visa currit in sinu eius et sic ab ipsa interficitur. **3** Tercium animal non habet iuncturas et ideo quiescendo stat iugiter ad arborem quandam; quam venator attendens secat usque ad medium, quo facto cum animal more suo querit quiescere cadit arbor et animal capitur. **4** Quartum videtur mansuetissimum et nulli nocet nec pedibus nec cornibus. Sed quicumque senserit flatum eius efficitur leprosus, quia illud animal ex natura sua totum est intus leprosum. **5** Quintum animal ubique timet et insidias preuidet et suspicatur. **6** Sextum animal nichil timet nisi se ipsum,

et si viderit se in umbra sua currit quasi ad mortem et semper in tenebris et occulte desiderat morari et conuersari. **7** Septimum animal nichil timet, nec eciam mortem, quia non sentit mortem antequam veniet. Hoc animal habet quatuor mirabilia. **8** Primo consolacionem habet interius indicibilem. Secundo non sollicitatur de cibo, quia comedit vilia terre. Tercio numquam stat sed semper currit. Quarto quod eciam incedendo quiescit et moderatum est in progressu suo.

9 Primum itaque animal assimilatur homini qui ex dignitate sua intumescit, sed quia tardum est et ponderosum ad cursus bonorum operum cicius deprehenditur nisi sibi cauerit. **10** Secundum animal superbiens ex lapide precioso, quem habet sub cornu, significat hominem qui confidens et presumens de se ex lapide precioso castitatis designatur monitionibus tangi et prefert se aliis. Et ideo ne a superbia capiatur, que faciem habet virgineam sed pungit acutissime, sollicite se attendat. **11** Tercium animal, quod non habet iuncturas, assimilatur homini qui non habet iuncturas spiritualium affectionum, et ideo, cum secure credit quiescere, capitur in hiis in quibus delectatur. **12** Quartum animal, quod est totum interius leprosum, significat hominem qui ex superbia totus est leprosus. Et ideo, quicumque ei consenciendo adheret, efficitur maculosus. **13** Tria alia sequencia animalia manifestabuntur temporibus suis. Nam primum animal est quasi Thomas pie dubitans et quasi lapis politus et quadratus. **14** Secundum est quasi aurum in igne et quasi fistula deaurata et in optimo coopertorio custodita. Tercium animal est quasi tabula depicta et apta ad suscipiendos colores nobiliores. **15** Itaque si illi viciosi homines, qui designantur per illa supradicta quatuor animalia, conuerterint se ad me, occurram eis in via et alleuiabo onus eorum. **16** Sin autem mittam ad eos animal velocius tigre, et consumet eos. Et sicut scriptum est, fient dies eorum pauci et filii eorum absque patre et uxores eorum vidue, honoresque eorum conuertentur in obprobrium et pudorem.”

Declaracio.

17 Primum animal, id est primus episcopus ex nobilitate superbiens, conuersus est ex verbis Spiritus sancti; qui veniens Romam et dominam Birgittam secutus usque ad Neapolim, cum essent in Beneuento, grauissime passus est de calculo. **18** Cui egrotanti Spiritus sanctus dixit per dominam: ”Regi Israel infirmo preceptum fuit, ut apponeret cathaplasma super vulnus suum. Sic faciat iste: assumat perfectam caritatem in animo ad Deum, que est medicamentum optimum, et statim senciet sanitatem.” **19** Quo audito votum vovit et mente et carne conualuit. De isto episcopo habetur tercio libro capitulo XII.

20 Secundum animal, id est secundus episcopus fuit magne puritatis, de quo tercio libro capitulo XIII. **21** Tercium animal, id est tercius episcopus, qui comparatur elephanti, mutatus est ad meliora. **22** Item loquitur Christus: ”Quid consuluit elephas ille? Nonne quod nupcie illegittime celebrarentur, ne expense parate perderentur, et quod dispensacio a papa faciliter posset impetrari? **23** Sed audi nunc que dico. Omnis qui scienter et ex industria peccat contra Deum nisi precedente magna contricione incurrit iudicium Dei et tribulacionem mundi. **24** Qui autem onus alterius imponit dorso suo, peccat grauius, quia nec timorem Dei habet nec querit salutem anime. O, quanta presumpcio! O, quantus defectus caritatis habere claves iurium in manu et propter modicum corruptibile conari contra claves et iura! **25** Ideo placare studeat ipse Deum et inducat coniugium illud ad fructuosam penitenciam et ad salutem debitam. Alioquin dies eius breuiabuntur et veniet in iudicium meum et ruina ecclesie eius erit tam magna, quod vix reedificabitur clerusque eius tribulabitur et desiderabilia eorum erunt in ruinas et ipsi in contemptum. **26** Tu vero, filia, scribe coniugio tibi noto, quod, nisi se emendauerint et absolucionem meruerint, non facient fructum longeum, et filii eorum non habebunt longos annos, et que congregata sunt venient ad alienos.” **27** Item de eodem episcopo: ”Iste episcopus venit ad me humilis sicut ille qui consumpta hereditate comedit siliquas et reuersus est humilis ad patrem. **28** Vere, filia, hec mundalia sunt quasi silique, quando medulla frumenti, id est Deus

expulsus est a corde, et labor superuacuus et sine fructu desideratur mundusque diligitur plus quam Deus. **29** Sed quia iste episcopus incipit iam cognoscere me et se ipsum, ideo faciam ei sicut pius pater obliuiscens priorum, et occurram ei in media via dando anulum in manu eius et calciamenta in pedes et vitulum ad comedendum. **30** Nam ab isto die caritas mea erit ferauencior in operibus eius, diuina pacienza et sapiencia erit cum eo perfeccior ad trahendum secum proximos suos, **31** frequencior quoque erit et sollicicior ad sumendum et honorandum corpus meum. Hoc donum promeruit ei Mater mea carissima, que est patrona ecclesie eius.” Item de eodem habetur in principio capituli CXXX.

32 Quartum animal, id est episcopus qui in lepra sua perseuerabat, vocatus est subito sine sacramentis. De isto require VI libro capitulo LXXXVII.

33 Quintum animal fuit sicut lapis quadratus, homo in omnibus temperatus et discretus. De quo require III libro capitulo XXXIII.

34 Sextum animal, id est sextus episcopus fuit homo timorosus et cordis sui scrutator, qui ecclesiam suam sapienter gubernans a multis obligacionibus liberavit. **35** De isto mortuo dixit Christus: ”Scriptura aurea dicit, quod principium sapiencie est timor Dei. Illud est verum sed ego dico, quod finis perfeccionis est eciam ipse timor Dei, quem quia iste episcopus habuit peruenit per compendium salubre ad viam salutis.”

36 Septimum animal, id est septimus episcopus maxime abstinenzie fuit, qui zelum Dei habens nec metu nec amore nec dampno reticuit veritatem. Hic, cum se posuisset ad oracionem, reddidit spiritum. **37** De isto episcopo sunt plures reuelaciones in vita domine Birgitte. Qui fuit dominus Hemingus, episcopus Aboensis et amicus beate virginis Marie, sicut patet Extrauagancium capitulo CIIII.

38 Item reuelacio de episcopo qui fuit successor animalis secundi. Filius Dei loquitur: ”Scribe episcopo, quod aues rapacissime intrauerunt terram, ut ponant in ea sibi nidos suos. **39** Ideo laboret ipse cum amicis suis, ut ungule earum prescindantur et non optineant cacumina terrarum nec dilatent alas suas in communitatem. **40** Alioquin rostris suis et unguis extirpabunt fructifera terre et volabunt super excelsa et montes et terram redigent in solitudinem et ruinam.”

Virgo Maria loquebatur cum sponsa Filii sui de quodam episcopo, pro quo ipsa deuote orabat, et dat hic notabilem doctrinam et formam virtuosissimam, secundum quam veri episcopi viuere et se ac subditos suos regere debeant spiritualiter et deuote. Capitulum CXXVI.

1 Mater misericordie loquebatur sponse Christi: ”Quid faciemus isti ceco episcopo? Ipse enim habet tria. Laborat quippe ut placeat hominibus plus quam Deo, **2** diligit thesaurum, non quem angeli custodiunt sed quem furari possunt fures, diligit eciam se plus quam proximum suum et plus quam Deum suum.” **3** Et ecce in eodem momento vidi sponsa quasi sex stateras, quarum tres ponderose erant, quia deprimebant a pondere. **4** Alie vero tres ita leues erant, quod ex toto eleuabantur ad superiora, quia in eis nichil esse videbatur nisi leue quoddam quasi pluma. **5** Et dixit Mater: ”Ecce iste episcopus, licet habeat tria mala prius dicta, tamen timet semper; propter quem timorem, qui est inductuum quoddam caritatis, datum est tibi videre statum eius. **6** Nam ille tres ponderose statere significant opera eius contraria Deo, que deprimunt animam eius; que ideo videntur tibi tres, quia affectione, locucione et operacione more statere descendit ad mundum. **7** Ideo vero tres alie statere leues videntur tibi ascendere, quia nunc cogitatione,

nunc voluntate, nunc opere ascendit ad Deum; **8** sed tamen mundialia preponderant spiritualibus, quia in hiis implicatur feruencius et copiosius, in tantum quod iam Dyabolus trahit eum per pedes, et laqueus est paratus.”

9 Respondit sponsa: ”O, domina pietatis, impone tu aliquid stateris.” Cui Mater: ”Agnes et ego expectabamus, si forte episcopus recogitare voluerit caritatem nostram, sed non multum attendit sollicitudinem nostram. **10** Attamen facere ei volumus sicut tres amici sedentes in via et scientes viam ostenderent amico eorum eandem viam quorum primus diceret: **11** ’O, amice, via quam vadis non est recta nec tuta. Si continuaueris viam istam, latrones eciam tibi nocebunt, et cum securum te credideris, morieris.’ **12** Secundus diceret: ’Via ista quam vadis delectabilis videtur, sed quid prodest tibi illa delectacio, si amaritudo mentalis est in fine?’ **13** Tercius vero diceret: ’O, amice, video infirmitatem tuam. Ideo non dispiceat tibi, si do tibi consilium, nec sis ingratus, si fecero tecum specialem caritatem.’ **14** Sic facere volumus ego et Agnes isti episcopo: si audierit primum, secundus monstrabit ei viam, tercius vero introducet eum in regionem lucis.”

15 Postea sponse ostendebantur ea que mittebantur diuinitus ad informacionem dicti episcopi, ut sequitur. **16** Item loquitur Mater: ”Sic dicetur episcopo: Deus licet omnia possit facere, tamen homo personaliter cooperari debet ad hoc, ut peccatum fugiatur et caritas diuina obtineatur. **17** Tria namque sunt inductiua ad fugiendum peccatum et tria cooperatiua ad acquirendam caritatem. Tria prima, quibus vitatur peccatum sunt ista, **18** scilicet penitere fideliter de omnibus, que remordent conscientiam, nolle ea iterum voluntarie committere, commissa et confessa stabiliter emendare iuxta consilia eorum qui mundum contempserunt. **19** Alia vero tria cooperatiua ad acquirendam caritatem sunt ista: Rogare primo Deum in adiutorium, ut auferatur praua delectacio, et detur voluntas facienda ea que placent Deo. **20** Nam caritas diuina non obtinetur nisi desideretur, nec desiderium erit racionabile nisi in Dei caritate stabiiliatur. **21** Et ideo tria sunt in homine, antequam ingrediatur caritas, et tria alia ingrediuntur, quando infunditur caritas diuina. **22** Nam ante infusionem caritatis Dei turbatur homo de aduentu mortis, turbatur de diminuzione honorum et amiciciarum, de mundi aduersitate et carnis infirmitate. **23** Obtenta vero caritate gaudium ingreditur in anima de tribulacionibus mundi, quas patitur, angustiatur mens possidere mundum et gaudet facere honorem Deo et pro honore Dei tribulari. Secundum vero inductiuum caritatis est facere elemosinam de superfluis. **24** Cum enim episcopus habet vasa et vestes, sicut humili congruit prelato ad necessitatem non ad ostentacionem et superfluitatem, contentetur de illis et de residuis faciat elemosinam. **25** Nam cum de bonis et possessionibus temporalibus animarum ditantur pauperes domestici prelatorum et lasciuiunt, tunc profusius alii veri pauperes clamabunt vindictam super eos. **26** Tercium vero inductiuum caritatis est labor caritatis. Nam quicumque non legeret nisi unum Pater noster pro obtainenda caritate placeret Deo, et caritas diuina ei cicias appropinquaret.”

27 Item ait mater ad Christum Filium eius: ”Benedictus sis tu, Iesu Christe optime gygas, qui celerrimus fuisti ad currendum viam et fortissimus ad tenendum pugnam. **28** Scribitur quippe, quod Dauid fuit gygas magnus et fortis, sed nullo modo similis tibi. Dauid denique a longe currendo iactauit lapidem contra hostem. **29** Tu vero appropinquabas pedibus inimico et confregisti dorsum eius. Dauid quoque hoste prostrato abstulit ei gladium amputando caput eius. **30** Tu vero ab hoste stante abstulisti gladium, vincens hostem viuum pacientia tua et confringens robur robusti humilitate tua. **31** Propterea tu pugil pugil es, cui nullus fuit nec erit similis. De robusto enim patre surrexit fortissimus filius, qui patrem et fratres liberauit. **32** Ergo, o, piissime gygas, rogo te, ut isti episcopo scienciam pugnandi donare digneris et fortitudinem currendi in stadio pugilum, ut sedeat cum veris gygantibus, qui vitam dederunt pro vita et pro sanguine tuo obtulerunt sanguinem suum.” **33** Respondit Filius: ”Oracio caritatis non negligitur. Nam

Scriptura dicit, quod nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Et ideo, si trahens est fortis, illud vero quod trahitur est ponderosum nimis, cicius dissipabitur opus et adnichilabitur. **34** Si vero illud quod trahitur ligatum est, nichil iuuare potest trahentem nec se ipsum, si ceciderit. Si vero immundum fuerit, abhominabile est ad trahendum. Propterea quod trahi debet et trahi desiderat necesse est, ut mundetur prius et preparetur decenter, donec trahibile et delectabile fiat ad trahendum manibus. **35** Verumtamen propter preces Matris mee, cum iste episcopus quesierit viam demonstrabitur ei via recta.” **36** Deinde subiunxit mater dicens sponse: ”Audi tu, cui datum est audire spiritualia. Dixi tibi prius, quod quando episcopus quesierit viam, demonstrabitur ei. Ideo nunc dico sibi viam. **37** Si episcopus iste voluerit ire per viam quam euangelium loquitur et esse unus de paucis, debet habere tria ante aggressionem vie. **38** Debet primo deponere pondus circumstans et onerans eum; hoc est mundi cupiditatem et saccum pecunie, non diligendo mundum ad aliquam superfluitatem et superbiam sed habendo ab eo necessaria sua iuxta episcopalem morigerosam et humilem exigenciam, omnia vero alia disponendo ad honorem Dei. **39** Sic enim fecit ille bonus Matheus. Depositus enim pondus graue cupiditatis, quod tamen non intellexerat esse onerosum, antequam assumpsit onus Dei leue et suaue. **40** Secundo debet esse precinctus et paratus ad ambulandum, sicut dicit Scriptura, quod cum Thobias mitteretur a patre pro pecunia, inuenit angelum succinctum ad viam. **41** Quem significat angelus iste nisi sacerdotem Domini et episcopum? Qui tenetur esse mundus in carne et affeccione, quia iuxta prophetam sacerdos est angelus Domini exercituum, quia eundem Deum recipit et consecrat quem angeli vident et adorant. **42** Cur vero angelus apparuit Thobie precinctus ad viam, nisi quod omnis sacerdos et episcopus precinctus debet esse cingulo diuine iusticie, paratus dare animam suam pro ouibus suis, paratus in verbis loquendo veritatem, **43** paratus in operibus ostendendo in se ipso viam iusticie, paratus ad paciendum pro iusticia et veritate, non dimittendo eam propter minas et obprobria, non tacendo propter falsam amiciciam, non dissimulando propter aliquorum dissuasionem? **44** Omnis ergo episcopus qui taliter indutus est iusticia, confidens non in se sed in Deo, ad eum veniet Thobias, id est homo iustus, et homines iusti sequentur eum, quia plus proficiunt exempla bona et opera quam verba nuda.

45 Tercio debet comedere panem et aquam, sicut legitur de Helya, quod inuenit ad caput suum panem et monebatur per angelum comedere, quia grandis restabat via. Quis est iste panis, quem comedit Helyas, unde tantum comfortatus est, nisi bonum corporale et spirituale quod dabatur ei? **46** Nam preparabatur panis corporalis propter exemplum aliorum, ut sciretur placitum esse Deo habere moderata necessaria ad refectionem carnis. **47** Dabatur eciam prophete infusio et fortitudo spiritualis, qua quadraginta diebus laborauit, ut sciretur quod non in solo pane viuit homo sed in omni verbo Dei. **48** Nisi enim Deus infudisset prophete consolacionem, certe defecisset ipse ex infirmitate propria, quia homo erat infirmus ex se sed fortis ex Deo, quia omnis, qui stat et fortis est, ex Deo fortis est et virilis. **49** Propterea, quia episcopus iste infirmus est, disponimus ei bucellam panis; hoc est diligere Deum super omnia ordinate, pure, veraciter et perfecte. Ordinate, ut mundum diligit ad nullam superfluitatem; pure, ut nullum peccatum in se nec in proximo diligat nec consuetudinem prauam velit imitari; **50** veraciter, ut nullum peccatum ex confidencia bonorum operum suorum admittat, sed sapienter temperet se ipsum in se ipso, ne succumbat ex nimio feroore aut forte declinet ad peccatum ex pusillanimitate et ex prauorum imitacione et leuigacione culpe; perfecte, ut nil tantum ei dulcescat sicut Deus. **51** Monemus eciam eum habere aquam cum pane caritatis. Que est ista aqua, nisi cogitare continue amaritudinem passionis Christi? Quis enim digne cogitare posset angustias humanitatis Christi, quas tunc paciebatur, quando rogauit transferri a se calicem passionis et quando gutte sanguinis exierunt de corpore eius? **52** Bene quippe sudor ille sanguineus erat, quia sanguis humanitatis Dei consumebatur ex naturali timore quem paciebatur, ut ostenderet se esse verum hominem, non fantasticum nec immunem a passione. **53** Ergo bibat episcopus aquam istam cogitando scilicet, qualiter Deus stetit ante Herodem et Pilatum, quam dolorosus et contemptibilis in cruce et quomodo latus eius lancea aperiebatur, de quo exiuit sanguis et aqua.

54 Cumque episcopus habuerit ista tria iam dicta, tunc est utile ei scire dispositionem temporum suorum a principio diei usque ad noctem. **55** Nam cum primo episcopus euigilauerit de nocte, statim debet regraciari Deo pro caritate eius in creacione, pro passione eius in redempcione, pro pacientia qua supportauit diu peccata et mores eius. **56** Deinde, cum surgit de lecto et induit vestes, dicat sic: 'Terra teneretur vestiri terra sua et cinis esse cum cinere suo. Verumtamen quia ex prouidencia Dei episcopale habeo officium in speculum aliorum, ideo induo te asinum, qui es corpus meum, cinerem et terram, non propter superbiam sed in operimentum, ne nudus appares; **57** nec curo utrum indumentum tuum melius sit an vilius, nisi tantum ut propter honorem Dei episcopalis agnoscatur habitus et in habitu discernatur ab aliis episcopalis auctoritas ad correpcionem et informacionem infirmorum. **58** Propterea rogo te, piissime Deus, qui vocasti me ex gratia tua: Da michi constanciam in animo, ne superbiam ex magno cineris precio nec inaniter glorier de colore, sed tribue michi fortitudinem virtutum, **59** ut, sicut habitus episcopalis honorabilis est et pre aliis propter auctoritatem diuinam, sic habitus anime virtuosior sit apud te, ne vel propter auctoritatem indiscrete habitam deprimar profundius vel propter habitum laudabilem indigne portatum denuder ignominiosius ad dampnacionem.' **60** Post hec episcopus legat horas vel cantet, si potest. Quo enim aliquis alcius honoratus est, eo maiorem obligatur facere honorem Deo. Attamen cor purum et humile ita placet Deo in silencio sicut et in cantu. **61** Deinde dicta missa vel ante faciat episcopale officium suum, siue corporale fuerit siue spirituale, et in omnibus operibus suis habeat misericordiam et consideret honorem Dei, ne ab infirmis videatur plus curare de bonis temporalibus quam de spiritualibus.

62 Cum autem accedit ad mensam, dicat sic: 'O, Domine Iesu Christe, qui vis quod corpus sustentetur de cibo corporali, rogo te, da michi auxilium sic dare corpori meo necessaria sua, **63** ut non attedietur ex nimietate ciborum nec deficiat ex parcitate, sed inspira michi moderanciam congruam, ut cum terra de terra viuat, dominus terre a terra sua non prouocetur ad iram.' **64** Postea in mensa sedens habeat moderatum solacium cum consendentibus; sic tamen, quod detraccio caueatur et scurrilitas. Summopere quoque caueatur, ne talia loquatur, unde alii corroborentur in viciis suis vel occasionem habeant ad peccatum. **65** Nam qui lucere debet aliis tenetur considerare, quid decet et quid licet apud Deum, quid edificat alios, quid expedit ad salutem. **66** Verumtamen, sicut in mensa corporali omnis cibus insipidus est, si deficit panis et vinum, sic in mensa spirituali omnia erunt insipida anime, si deficit vinum spiritualis leticie et panis doctrine Dei. **67** Ideo episcopus loquatur aliquid in honorem Dei in mensa, quo corroborentur considentes in anima aut legi faciat aliquid edificatorium, ut in una et eadem refectione corporali et corpus reficiatur et anima spiritualiter instruatur.

68 Post refectionem vero lectis graciis loquatur episcopus illa que expedient et agat agenda secundum episcopale officium aut capiat sompnum, si expedit nature, vel certe reuoluat libros in quibus ad spiritualia trahi possit. **69** Post cenam vero gaudere potest cum familiaribus suis honesto modo et consolari eos, quia, si arcus nimis extenditur, cicius frangitur. Ideo moderata leticia propter infirmitatem carnis placet Deo. **70** Verumtamen, sicut mater ablactans filium perungit primo ubera cinere vel aliqua amaritudine, donec filius cibis assuescat solidioribus, sic episcopus discretus debet esse ad suos et cautus, **71** ut et in leticia seruet modestiam et in refrenancia pietatem, quatenus primo attrahat suos Deo per verba timoris diuini et humilitatis. **72** Inde reuereri doceat Deum et diligere, ut et suorum familiarium pater sit per diuinam auctoritatem et eorum mater et nutrix per informacionem benignam. **73** Si vero aliquem suorum scit peccare peccatum ad mortem, qui nec per verba aspera nec per lenia resipiscit, separat et expellat eum a se. Alioquin, si retinuerit eum propter utilitatem et fauorem carnalem et temporalem, non erit immunis a peccato eius.

74 Postea vero ingrediens lectum flectat cor suum Deo et recogit, quales in die fuerunt cogitationes et affecciones eius, qualia opera et iudicia sua, et petat auxilium et misericordiam Dei habendo voluntatem firmam emendandi se, quando poterit. **75** Deinde ingrediens lectum oret sic: 'O, Domine Deus meus, qui creasti corpus meum, vide me misericordia tua et presta auxilium tuum, ut non ex nimietate sompni accidiosus fiam ad seruicium tuum nec ex defectu sompni deficiam in seruicio tuo, **76** sed modera sompnum meum, quem precipis habere ad temporum et corporis reuelacionem, ut inimicus non noceat corpori nec ex occulto iudicio tuo in anima dominetur.' **77** Postea surgens de lecto, si aliqua illicita in nocte contingent, diluat confessione, ut sequentis noctis sompnus cum precedentis noctis delictis non incipiat. **78** Sicut scriptum est: 'Sol non occidat super iracundiam vestram,' sic nec super cogitationes et illusiones vestras, quia quandoque peccatum, quod veniale et modicum est, fit mortale per negligenciam et contemptum. **79** Consulo eciam, quod omni sexta feria peniteat faciendo humiliter confessionem suam sacerdoti cum voluntate emendandi. Alioquin confessio nichil valet."

80 Deinde addidit Mater Dei: "Si episcopus iuerit per viam sanctam, precaueo eum de tribus. Primo, quod via erit arta, secundo spinosa et pungitua, tertio inequalis et petrosa. **81** Contra ista vero dabo ei tria remedia. Primum est, quod vestiat se vestibus. Secundo, quod teneat decem digitos ante oculos, inter quos respiciat tamquam per cancellos, ne spine subito et faciliter penetrant oculos nudos. **82** Tercium est, quod ponat caute pedes in terram et in quolibet vestigio sollicite temptet, si pes subsistit solide, nec nimis precipitanter ponat ambos pedes simul, nisi prius fuerit certus de via, utrum lubrica sit an equalis. **83** Quid ergo significat quod via est arta nisi maliciam malorum et aduersitatem mundi, que impedit et sollicitat iustum in via iusticie? Ideo contra ista induat se episcopus vestibus pacientie et constancie, quia gloria magna est pati obprobria pro iusticia et veritate. **84** Quid vero significant decem digitii habendi ante oculos nisi decem precepta, in quibus iustus homo speculari debet cotidie, ut, quociens pupugit spina obprobrii, respiciatur dileccio Dei; **85** quociens pupugit spina malicie, opponatur dileccio proximi; quociens vero delectat amor mundi et carnis, respiciatur quod scriptum est: 'Non concupisces,' sed concupiscentie tue pone frenum atque modum. **86** Ubi enim caritas est diuina, ibi est pacientia in tribulaconibus, gaudium in infirmitatibus, dolor de superfluitatibus, timor de honore, humilitas in potestate, desiderium ad relinquendum mundum. **87** Quid vero significat, quod in quolibet vestigio debet temptare, si pedes stant solide, nisi quod ubique tenetur rationabiliter timere? Nam iustus debet habere duos pedes spirituales, desiderium scilicet eternorum et fastidium mundanorum. **88** In primo debet esse disrecio, ne desideret eterna ad honorem suum solum plus quam Dei. Ideo totum desiderium suum ponat ad voluntatem et honorem Dei. **89** In secundo debet esse caucio, ne fastidium mundi sit irrationabile vel propter impacienciam vite et casus aduersarios vel propter accidentiam laboris diuini. **90** Ideo in isto sit caucio, ut fastidium mundi sit propter desiderium melioris vite et propter abhominacionem peccatorum.

91 Ergo si episcopus habuerit istos duos pedes, timendo eciam quod illa, que emendauit, quod forte non sunt bene emendata, et processerit in ista via arta et spinosa, tunc precaueo eum iterum de tribus inimicis, qui sunt in via. **92** Primus quippe hostis sibilat in aures eius, secundus stat ante eum paratus pungere in oculos eius, tertius iacet ante pedes eius clamans alte et habens laqueum, ut illaqueat pedes eius, si ad clamorem ipsius in altum eleuentur. **93** Primus itaque hostis sunt homines illi vel inspiraciones ille dyabolice que suggestum episcopo taliter: 'Cur sic vadis humiliter et arte? Cur tantum assumis tibi laborem?' **94** Numquid vis tu sancctor esse aliis, ut facias illa que nemo facit? Diuerte pocius in viam floridam, per quam ambulant plures, ne forte contemptibiliter deficias. **95** Quid ad te si homines viuant bene vel male? Quid prodest tibi offendere illos a quibus honorem consequi poteris et amorem, si non offendunt te nec tuos? **96** Quid ad te si offendunt Deum? Da pocius eis dona et accipe, utere honore tuo et amicicia hominum, ut eque possis honorem hominum habere et celestia obtinere.' **97** Ecce talis hostis sibilat et

sibilauit in aures multorum. Et ideo lucerne multe, que lucere deberent tenebris, facte sunt ipse tenebre, et aurum optimum mutatum est in lutum.

98 Secundus hostis, qui pungit oculos, est pulchritudo mundi et possessiones terrene, apparatus rerum et vestium, fauores hominum et honores. **99** Cum enim ista omnia appetuntur et offeruntur, sic exēcent oculos anime et racionis, quod dulcius videtur stare cum Sampsone ad molam cure mundialis quam cum sponsa Ecclesia ad dispensacionem cure pastoralis. **100** Insuper et caritas Dei, si qua fuit, tunc magis tepescit, peccatum committitur fiducialiter et commissum ex potestatis fiducia leuigatur. **101** Propterea cum episcopus habet necessaria sua constituto familie sue numero, quo honestatem suam et auctoritatem seruare possit, contentetur sicut scriptum est: **102** 'Sint mores vestri sine auaricia contenti moderatis rebus,' quia nemo militans Deo toto corde implicat se secularibus nisi contra voluntatem suam ad honorem Dei. **103** Tercius hostis habet laqueum, qui clamat taliter: 'Cur sic humiliaris, qui pre aliis honorari poteris? Labora ergo, ut ascendas superius. Tunc habundare et dare poteris amplius. **104** Esto igitur sacerdos, ut sedeas cum primis. Esto episcopus et postea archiepiscopus vel alcior, ut maiorem obtineas quietem, maius seruicium et maiorem honorem. Tunc alios adiuuare poteris et ab aliis plus timeri et a pluribus consolari.' **105** Cumque animus talibus illuditur suggestionibus, mox incaute extenditur pes ad cupiditatem et inquiritur modus ascensionis ad sublimiorem statum. Et tunc animus sic innectitur laqueis cupiditatis et sollicitudinis temporalis, quod vix consurgit. **106** Nec mirum. Scriptura enim dicit, quod qui episcopatum desiderat vel sacerdotium, bonum opus desiderat. Quid est illud bonum? Certe laborare pro anima et pro honore Dei, laborare pro eternalibus et non pro casuris. **107** Nunc autem omnes desiderant honorem sed non laborem, qui tamen non est honor sed afflictio. Ubi enim non est onus laboris diuini, ibi non subsequetur honor anime apud Deum. **108** Propterea episcopus non appetat alciore gradum vel alium quam quem habet, quia laqueus absconditus est in terra et decipula super semitam ambulantis. **109** Et ideo utile est ei stare in statu quem habet, donec Deo placuerit ei aliter prouidere, aut prelatus superior Ecclesie precipiat aliud ad honorem Dei. Istud iam dictum est consilium et caucio quedam caritatua.

110 Nunc autem dicere volumus, quid episcopus facturus sit secundum Deum. Ipse utique tenetur episcopalem infulam habere in brachiis suis stricte custoditam, non vendere eam pro pecunia, non concedere aliis propter amiciciam, non perdere eam per negligenciam et tepitudinem. **111** Quid enim significat corona seu infula episcopalnis nisi potestatem episcopalem: ordinare scilicet clericos, corrigerre errantes, instruere verbo et exemplo suo ignorantes. **112** Quid vero est custodire stricte infulam nisi sedule cogitare, quomodo accepit ipsam potestatem, ad quid obtainuit eam, quomodo eam tenuerit, quis erit eius fructus? **113** Si ergo cogitare voluerit, quomodo obtainuit eam, attendat primo, si desiderauit eam propter se vel propter Deum. Si propter se, timeat racionabiliter; si vero propter Deum, meritiorum est spirituale. **114** Si vero attendat, ad quid obtainuerit potestatem et dignitatem, certe ego dicam ei: Ad hoc scilicet ut esset consolator animarum et liberator meritis suis, de quarum elemosinis viuit, ut esset nutritor pauperum, diuitum quoque pater, adiutor Dei in spiritualibus et pro Deo emulator. **115** Si vero scire voluerit fructum potestatis, hoc bene declarat Paulus: 'Qui,' inquit, 'bene ministrauerit, duplē habebit honorem,' corporalem scilicet et spiritualem. **116** Qui vero episcopalem habet vestem sed non vitam, qui querit honorem sed neglit laborem, hic duplice confusione dignus erit.

117 Quid vero significat, quod potestas non debet vendi, nisi quod episcopus non debet esse scienter simoniacus nec in aliis tolerare, si sciuerit, **118** non ordinare aliquos nec promouere propter pecuniam, non exercere officium suum propter honorem hominum et fauorem nec propter preces carnales exaltare illos quos indignos nouerit et vite male? **119** Quid vero est, quod non debet aliis concedere suam postestatem propter amiciciam, nisi quod non debet simulare peccata aliorum propter falsam misericordiam, **120** non

tacere propter amiciciam, non portare in dorso suo peccata aliorum, que potest et tenetur corrigere, propter aliquam carnalitatem? **121** Est enim episcopus speculator Domini, et ideo sanguis mortuorum exquiritur de manu speculatoris, si vidit periculum et non clamauit, aut si dormiebat et non curabat. **122** Quod vero episcopus non debet perdere coronam seu infulam per negligenciam, hoc significat, quod episcopus non debet illa concedere aliis ad faciendum que ipse personaliter tenetur facere et potest facere, **123** nec propter quietem suam tepidam illa debet dimittere, que ipse personaliter fructuosius quam alii posset implere. **124** Nec eciam ignorare debet vitam eorum, quibus committit officia sua sed inquirere occulte et aperte vitam eorum, quibus committit, et quomodo seruant iusticiam, quia officium episcopale non est quietis sed sollicitudinis et laboris.

125 Cumque episcopus, sicut iam dixi, bene custodierit infulam, oportet quod habeat eciam sub brachiis suis fasciculum florum, quibus allicientur oves remote et vicine. Solet enim bonus pastor per flores et fenum trahere post se oves suas. **126** Quid est iste fasciculus florum nisi predicacio diuina, que pertinet ad episcopum? Que vero sunt brachia duo nisi operacio duplex, facere scilicet bona opera in aperto propter incitamentum aliorum et facere bona in occulto propter timorem Dei et exemplum vicinorum. **127** Ergo, si predicacio coniungatur cum hiis duobus operibus, pulcherimus erit fasciculus florum, post quem oves vicine in episcopatu suo gaudenter current. **128** Oves eciam que remote sunt, audientes famam eius, libenter desiderabunt eum et propter verba bona et propter opera caritatis que sequuntur verba. **129** Nam hii sunt suauissimi flores ad alliciendum oves, facere scilicet virtuosa opera et ea alios docere, non in verbosa sciencia sed in paucis verbis et caritate plenis. Non enim decet preconem Dei esse mutum nec speculatorum domus Dei esse cecum.

130 Adhuc eciam deficit episcopo unum. Cum enim ipse peruenerit ad portam, decet eum presentare aliquid summo Regi. Ideo consulimus ei, quod presentet Regi vas sibi carissimum, et illud vacuum et ornatum. **131** Vas itaque episcopo carissimum cor suum est. Hoc ergo presentet et offerat Deo totum ornatum virtutibus sed vacuum a voluntate propria et amore carnis. **132** Et sic tunc, quando episcopus appropinquauerit porte, occurret ei exercitus effulgens. Ipse Deus et homo suscipiet eum, angeli quoque tunc dicent: 'O, Domine Deus, ecce episcopus, qui fuit mundus in carne, in sacerdocio purus, apostolicus in predicacione, **133** episcopus vigilans in officio suo, virilis in operacione, humilis in potestate! Ecce quem desiderauimus propter puritatem suam, et ideo presentamus eum tibi, quia desiderauit te propter caritatem tuam!' **134** Tunc quoque dicture sunt anime sancte in celo existentes: 'Ecce, o, Domine Deus! Gaudium nostrum est in te. Attamen gaudemus eciam de isto episcopo. **135** Nam florem portauit in ore, quo vocabat plures oves, florem portabat in manibus, quo reficiebat aduenientes oves, florem transmittebat habitantibus de longe, quibus excitabat dormientes oves. **136** Et ideo, quia floribus verborum suorum augmentauit chorum nostrum, gaudemus in eo. Gaude et tu, Domine Deus, in homine isto et de honore eius, quia te super omnia desiderauit!'

137 Tunc quoque dicturus est episcopo Dominus dator glorie: 'O, amice, venisti presentare michi vas cordis tui vacuum a te, et desiderasti impleri de me. Ideo veni, et ego implebo te me ipso. Tu esto in me et ego in te. Gloria enim tua et leticia numquam habebit finem.'"

Virgo Maria notificat sponse oranti pro quodam heremita amico suo tunc mortuo, quod, antequam corpus illius sepeliatur sub terra, anima eius introducetur in gloria. Capitulum CXXVII.

1 Orante sponsa pro quodam sene presbitero heremita preclare vite et magne virtutis, amico suo, qui tunc migrauerat de hac vita et iam erat positus in feretro in ecclesia, ut sepeliretur, tunc eidem sponse apparuit virgo Maria sic dicens: **2** "Attende, filia, et scias, quod anima istius heremite amici mei, statim cum egressa fuit de corpore eius, intrasset in celum, nisi quia non habuit in morte perfectum desiderium perueniendi ad presenciam Dei et eius visionem. **3** Et ideo detinetur nunc in illo purgatorio desiderii, ubi nulla pena est nisi solum desiderium perueniendi ad Deum. Sed tamen scias, quod, antequam corpus eius intret sub terra, anima ipsius introducetur in gloria."

Declaracio.

4 "Dic iterum illi seni religioso: Diu stetisti in heremo et fecisti fructum qui michi placuit, conuertens bestias in oves et leones in agnos. **5** Nunc sta constanter in urbe in qua platee strate sunt sanguine sanctorum, quia auditurus es iudicium et retribucionem tuam videbis." Quibus auditis statim infirmatus est et non longe post in pace quieuit.

6 Hic frater quidem Benedictinus rogauit dominam, ut requireret Deum, quatenus certificari posset de habitu suo, quia multum tribulabatur de multitudine abusionum habitus religionis sancti Benedicti. **7** Igitur cum domina fuisset in spiritu, dixit ei Filius Dei: "Dixi tibi prius (III libro XX et XXII capitulis), quod Benedictus famulus meus habuit corpus suum quasi saccum. Qui habuit quintuplicem vestem. **8** Prima fuit tunica aspera, qua domuit carnem et motus inordinatos, ne lasciuirent et ne excederent metas suas. Secunda vestis fuit cuculla simplex, non accurata nec rugosa, que tegeret et ornaret et calefaceret carnem, ne videntibus horror esset. **9** Tercia fuit scapulare, quo ad laborem manuum prompcior et expedicior inueniretur. Quarta vestis fuit mumentum pedum, ut esset agilior et humilior ad ambulandum in via Dei. **10** Quinta fuit cingulum humilitatis, quo precinctus restringeret superflua et expedicius laboraret consuetum et iniunctum laborem.

11 Nunc autem fratres sui querunt vestes, que excitant luxuriam, et abhominantur asperitatem, querunt indumenta, que placeant hominibus et que carnem excitant ad carnale. **12** Nam pro cuculla assumunt cappam ita rugosam, ita latam et longam, ut pocius videantur superbi ostentatores quam religiosi humiles. **13** Pro scapulari vero habent breuem panniculum ante et retro et caput muniunt cum capucio secularium, ut secularibus se conforment. Et sic nec similes sunt hominibus mundi nec laborant cum humilibus seruis Dei. **14** Pedes vero sic muniunt et sic precingunt se cingulo, sicut qui parati sunt ad nupcias, non ad decertandum in stadio laboris.

15 Propterea monachus qui saluari desiderat attendat, quod regula Benedicti mei permittit habere necessaria cum moderancia, utilia non superflua, honesta et expediencia, omnia humilia nullaque superba. **16** Quid enim significat cuculla nisi habere maiorem pre ceteris humilitatem? Quid vero significat capucium contemptibile cuculle nisi quandam abiectionem habere contra mores mundiales? **17** Sed cur nunc a religiosis assumitur capucium mundiale, nisi quia erubescunt humilia et ut mundialibus se concordent? **18** Quid vero ornamenti habet cauda capucii quidue utilitatis nisi quandam ostentacionem et quandam contra religionis pulchritudinem curiositatem? Quid vero facit cappa rugosa plus quam cuculla, nisi ut monachus gyrouagus expedicior et gloriosior credatur et videatur? **19** Attamen eciam si cappa humilis et pura portaretur propter aliquam commendabilem necessitatem, non obesset moribus bonis sed decencior esset cuculla humilitatis, ut unusquisque de habitu suo cognosceretur, cuius ordinis esset professor. **20** Si vero monachus infirmaretur in capite aut affligeretur frigore, non peccaret, si haberet

conueniens et humile cooperimentum subtus capucium cuculle, non ab extra, quia hoc arguitur leuitatis et vanitatis.”

21 Respondit domina: ”O, Domine mi, ne indigneris si quero. Numquid illi fratres peccant, qui portant talem habitum ex licencia prelatorum et consuetudine institutionum predecessorum?” **22** Cui Deus: ”Dispensacio,” inquit, ”rata est, si ex bona intencione procedit. Nam quidam dispensant ex zelo iusticie, alii ex falsa compassione et indiscreta permissione, alii ex leuitate morum suorum et affectu placendi hominibus. **23** Alii dissimulant iusta, quia vacui diuina caritate sunt. Sed apud me est illa dispensacio grata, que non contrariatur humilitati, et illa permissio rata est, que necessaria discrete permittit superfluaque eciam in minimis dampnat.”

24 Item quesuit domina: ”O, Domine Deus meus, quid si aliqui ignorant, quid melius aut decencius sit in regula? Numquid eciam illi peccant?” **25** Respondit Christus: ”Quomodo potest professor regule ignorare regulam, que cotidie legitur et auditur? In qua instituitur monachus humiliari et obedire et habitum habere de vilioribus non de mollioribus et habitum portare exemplarem non pomposum. **26** Aut cuius conscientia sic obtusa est, quod non intelligat se professorem humilitatis et tocus paupertatis? **27** Ergo ille est monachus Benedicti qui plus obedit regule quam carni, qui nec in habitu nec in moribus alicui placere desiderat nisi Deo, qui cotidie desiderat mori et parat se ad exitum de hoc mundo sollicitusque est, quomodo reddat rationem de regula Benedicti.”

Responsio matris Virginis ad sponsam Filii orantem pro quodam heremita in dubitacione posito, an accepcius Deo esset, quod ipse frueretur mentalis consolacionis dulcedine non recedendo umquam de heremo, an quod descendenter aliquando ad edificandum animas proximorum. Capitulum CXXVIII.

1 Mater loquitur: ”Dic illi seni presbitero eremite, amico meo: Qui quasi contra suam voluntatem et pacem anime sue, constrictus fide et deuocione proximorum, aliquando relicta cella solitudinis et sua contemplacionis quiete, **2** ex caritate descendit de heremo inter gentes ad dandum consilia spiritualia eisdem proximis, cuius exemplo et consilio salutari multe anime ad Deum conuertuntur et iam conuersi ad aliora virtutum proficiunt; **3** qui humiliter dubitans de calliditate et deceptione fraudulenta Dyaboli te requisiuit de consilio cum humilitate et rogauit, ut orares pro eo **4** super hoc videlicet, utrum Deo magis placeret, quod ipse vacaret sue soli contemplacionis dulcedini, an Deo accepctor esset talis caritas proximorum.

5 Dic ergo ei sic ex parte mea, quod omnino magis Deo placet quod, sicut dictum est, aliquando ipse descendat de heremo et vadat ad exercendum in proximis talia opera caritatis participando cum eis virtutes et gracias quas ipse habet a Deo, **6** ut ex hoc ipsi conuertantur et adhereant feruencius Deo et participes fiant glorie eius, quam si in cella solitudinis idem heremita sue soli mentali consolacioni vacaret. **7** Et dic ei, quod de tali caritate maius meritum retribucionis ipse habebit in celis, dum tamen ad talem caritatem exercendam ipse vadat cum consilio semper et voluntate sui senioris patris spiritualis. **8** Item dic ei, quod ego volo, quod ipse recipiat in filios suos spirituales sub consilio suo regendos omnes heremitas et eciam omnes moniales et reclusas, olim filios spirituales illius heremite amici mei, qui mortuus est. **9** Et dirigat eos omnes sub suo caritatuo consilio spiritualiter et virtuose, sicut ille in vita sua gubernauit et direxit eos, quia sic placet Deo.

10 Et si ipsi eum in patrem receperint et ei humiliter obedierint in vita heremita et spirituali, tunc ipse erit eis pater et ego ero eis Mater. **11** Si vero aliquis eorum noluerit eum in patrem spirituale recipere aut ei obedire, tunc melius erit tali inobedienti, quod statim recedat ab eis, quam quod amplius permaneat cum eis. **12** Vadat tamen idem amicus meus supradictus ad eos et reuertatur ad cellam suam, quociens ei videbitur, semper tamen cum consilio et voluntate sui patris senioris.”

Post duos annos a tempore, quo sponsa habuit illam visionem de animali et pisce, que continetur supra in isto quarto libro, capitulo secundo, Christus apparens ei exponit dictam visionem obscurissimam valde clare et notabiliter dicens, quod animal et piscis per peccatores et gentiles, capientes vero per iustos et virtuosos homines designantur. Capitulum CXXIX.

1 Filius loquitur ad sponsam: ”Dixi tibi prius, quod desidero cor animalis et sanguinem piscis. Quid autem est cor animalis nisi anima illa dilecta et immortalis Christianorum, que plus placet michi quam omne, quod in mundo desiderabile videtur? **2** Quid vero est sanguis piscis nisi caritas perfecta ad Deum? Ideo cor presentari debet michi mundissimis manibus, sanguis vero in vase ornato, quia mundicia Deo et angelis placita est; et sicut gemma in anulo, sic puritas conuenientissima est omni operi spirituali. **3** Caritas vero diuina presentari debet in vase adornato, quia anima gentilium quasi vas relucere et ardere debet ardentissima dilectione ad Deum, per quam fideles et infideles tamquam unum corpus uniuntur capiti suo scilicet Deo.

4 Ergo qui presentare michi desiderat cor Christiani indurati peccato, qui est quasi animal absque iugo obediencie discurrens per via et in desideriis suis viuens, debet manus suas perforare terebro acuto, quia tunc nec gladii nec sagitte preuealebunt. **5** Quid vero sunt manus hominis iusti nisi operaciones eius, corporalis scilicet et spiritualis? Corporalis enim manus, id est laborare et sustentare corpus, necessaria est. **6** Spiritualis vero manus est iejunare et orare et similia. Ergo ut omnis operacio hominis sit moderata et discreta, debet perforari timore Dei. **7** Nam omni hora cogitare tenetur homo, quod Deus est semper presens, et timere debet, ne auferatur gracia sibi data, quia sine adiutorio Dei homo nichil potest et cum eius caritate omnia potest. **8** Sicut ergo terebrum preparat foramina rei imponende, sic timor Dei omnia opera solidat et preparat viam caritati diuine et allicit Deum ad iuuandum. Propterea sit homo timorosus in omnibus actibus suis et discretus, **9** quia licet uterque labor, spiritualis scilicet et corporalis, necessarius est, tamen sine timore et discrecione utilis non est, quia indiscrecio et presumpcio omnia corrumpunt et confundunt et bonum perseverancie tollunt. **10** Qui ergo desiderat vincere duriciam animalis, sit inflexibilis in operibus discretionis et constans in timore et spe adiutorii diuini et conetur, quantum potest, et Deus adiutorium ministrabit confringendo cor induratum.

11 Debet eciam amicus meus oculos suos munire palpebris cete cum fortissimo bitumine, ne ex visu basilisci moriatur. Quid autem sunt oculi iusti viri nisi duplex consideracio eius cotidie habenda, scilicet consideracio beneficiorum Dei et cognicio sui ipsius? **12** Cogitans enim beneficia Dei et misericordiam eius, attendat utilitatem propriam et ingratitudinem suam ad beneficia Dei. **13** Et cum animus sentit se mereri iudicium, muniat oculos consideracionis sue palpebris cete, id est spe et fide diuine bonitatis, ut nec dissoluatur cogitando misericordiam nec diffidet cogitando iudicium Dei. **14** Sicut enim palpebre cete nec molles sunt, ut caro, nec dure, ut ossa, sic homo inter misericordiam Dei et eius iudicium moderatus sit, sperando constanter misericordiam et timendo prudenter iudicium. **15** Gaudeat quoque de misericordia et

propter iusticiam proficiat de virtute in virtutem. Ergo qui sic cotidie stat inter misericordiam et iusticiam, spe et timore, non habet timere oculos animalis. **16** Quid autem sunt oculi animalis nisi sapiencia mundana et prosperitas temporalis? **17** Sapiencia enim mundi, que primo oculo animalis comparatur, est quasi visus basilisci, quia sperat illa que videt, et remuneracio eius est in promptu, quia desiderat peritura. **18** Sapiencia vero diuina sperat illa que non videt, prosperitatem mundi non attendit, humilitatem et pacientiam diligit, remuneracionem non querit nisi eternam. **19** Secundus oculus animalis est prosperitas mundi, quam mali appetentes celestia obliuiscuntur et persequuntur et contra Deum indurantur.

20 Ergo omnis homo qui desiderat salutem proximi coniungat oculos suos cum discrecione oculis animalis, id est proximi, proponendo ei beneficia misericordie Dei et iudicia eius, opponendo verbis mundialibus verba sapiencie Dei, **21** ostendendo vitam perseuerantem continencie hominibus incontinentibus, contempnendo diuicias et honores presentes propter caritatem Dei, **22** predicando iugiter et predicata implendo, quia vita spiritualis approbat verba et exempla sancta plus proficiunt quam verbosa eloquencia sine operum effectu. **23** Nam qui beneficia Dei et iudicia eius semper habent in mente, qui verba Dei continue habent in ore et illa opere implet et firmiter sperant in bonitate Dei, non leduntur cupidibus gladiorum inimici, **24** id est fallacibus adiuencionibus hominum mundialium, sed proficient et propter caritatem conuentent errantes ad veram caritatem Dei. Qui vero de gracia superbunt et de eloquencia querunt lucrum viuentes moriuntur.

25 Lamina quoque calibis alligari debet cordi, quia caritas Dei semper ponenda est ante oculos, cogitando scilicet, quomodo Deus factus homo humiliauit se, **26** quomodo predicando tolerabat famem et sitim et laborem, quomodo suspensus in cruce et mortuus surrexit et ascendit in celum. **27** Hec lamina, id est caritas habet latitudinem et planiciem, quando mens parata est pati libenter contraria aduenientia, quando de nullis iudiciis Dei murmurat nec angustiatur de tribulacionibus, sed voluntatem propriam et totum corpus ponit in voluntatem et dispositionem Dei. **28** O, filia, ego fui calibis fortissimus, quando in cruce extensus et quasi oblitus passionis mee et vulnerum meorum oraui pro inimicis.

29 Claudenda quoque sunt intersticia narium et clauso ore currendum est ad animal, quia sicut per intersticia narium intrat et exit flatus, sic per desideria hominis intrat vita et mors in anima. **30** Et ideo, sicut a morte, sic a desideriis malis caudendum est, ne intrent in anima, vel ne ingressa immorentur. Ergo qui ardua vincere proponit, attendat ad temptationes suas et caueat ne propter inordinata desideria minuatur zelus Dei, **31** quia toto desiderio et zelo diuino et cum omni pacientia currendum est ad peccatorem, opportune et importune, ut conuertatur, et ubi iustus nichil proficit loquendo vel ammonendo, ibi zelus est exercendus oracionumque instancia continuanda.

32 Insuper animal ambabus manibus apprehendendum est. Nam animal habet duas aures: unam, qua libenter audit delectabilia sua, aliam, quam obstruit, ne audiat proficia anime sue. **33** Sic eciam amico Dei utile est habere duas manus spirituales, sicut prius habuit corporales, sed habeat eas perforatas. **34** Una manus sit sapiencia diuina, qua ostendat peccatori omnia esse caduca mundi huius et labilia, et qui delectatur in eis, seducitur et non saluatur, quia omnia ad necessitatem concessa sunt et non ad superfluitatem. **35** Secunda manus sit exemplum bonum et operacio bona, quia bonus homo facere debet que docet, ut audientes exemplo eius roborentur. **36** Nam multi docent et non exemplificant et hii sunt qui sine cemento erigunt lapides in frigore mentis sue, qui irruente tempestate statim dissoluuntur. **37** Pellis quoque animalis, que est quasi silex, malleo et igne aggredienda est. Nam in pelle notatur ostensio et simulacio iusticie. **38** Mali quippe, quia boni esse nolunt, appetunt videri quod non sunt; et quia laudabiles vocari desiderant sed non laudabiliter viuere, ostendunt foris sanctitatem et iusticiam simulant, quam

nequaquam habent in mente; **39** et ideo in apparenzia simulate sanctitatis sic superbunt et indurantur quasi silex, quod nec increpacionibus nec racione aperta mollescunt.

40 Propterea seruus Dei utatur in talibus malleo dure increpacionis et igne diuine oracionis, ut mali verbo veritatis conuincantur et moliores fiant paulatim a duricia sua et priuata oracione incalescant et succendantur ad Dei et sui cognitionem, sicut fecit Stephanus. **41** Ipse enim loquebatur non placencia sed vera, non mollia sed aspera. Insuper orauit Deum pro eis et ideo profecit, et multi meliorati sunt propter eum. **42** Ergo quicumque timore Dei perforat opera manuum suarum et munit oculos consideracionis temperancia laminaque calibus protegit cor suum, claudens intersticia narium et sic presentat michi cor animalis, **43** ego Deus dabo ei thesaurum delectabilissimum, cuius delectacione visus non fatigatur, cuius dulcedine auris non languescit, **44** cuius fruicione non sociatur gustus, cuius tactu numquam sentitur dolor, sed anima perfruetur gaudio et abundancia sempiterna.

45 Piscis autem significat gentiles, quorum squame sunt fortissime, quia peccatis et maliciis indurati. Nam sicut squame compacte muniunt et obstant, ne ingrediatur ventus, **46** sic gentiles in peccatis gloriantes et vana spe viuentes muniunt se defensionibus contra amicos meos; sectas enim suas preferunt, multipli cant terrores, supplicia comminantur. **47** Et ideo qui presentare michi desiderat sanguinem piscis, extendat super eum rethe, id est predicacionem suam, que non sit de putridis filiis philosophorum et rhetoriconum curiose eloquencium, **48** sed de simplicitate verborum et humilitate operum, quia simplex predicacio verbi Dei est sonorosa quasi es in conspectu Dei et fortis ad trahendum peccatores Deo. **49** Et ideo non per eloquentes magistros sed per humiles et ydiotas Ecclesia mea inicium habuit et profecit.

50 Caeat eciam predictor, ne ingrediatur aquam nisi usque ad genua, sed nec alibi, nisi ubi sit arena solida, figat pedem, ne forte, si procelle ascendant super genua, pedes moueantur. **51** Quid autem est vita presens nisi quasi aqua mobilis et instabilis? Ad quam non est curuandum genu fortitudinis spiritualis nisi ad solam necessitatem. Et ideo figatur pes affectionis hominis in arena solida, id est in soliditate diuine caritatis et consideracione futurorum. **52** Nam illi qui distendunt pedes affectionum suarum et fortitudinem suam ad temporalia non sunt stabiles ad lucrandas animas sed a procellis sollicitudinum temporalium demerguntur.

53 Debet eciam iustus excecare oculum suum, quem vertit ad pisces, quia duplex est oculus, humanus scilicet et spiritualis. Humanus quidem oculus incutit timorem, quando visa potencia et crudelitate tyrannorum animus considerans infirmitatem suam loqui expauescit. **54** Hic enim timoris oculus exceci debet et auelli ab animo per consideracionem diuine bonitatis, considerando et credendo firmiter, quod omnis homo, qui spem suam ponit in Deo et peccatorem lucrari querit propter Deum, habebit ipsum Deum protectorem. **55** Spirituali vero oculo intelligentie respiciendus est peccator vel aliquis conuersus ad Deum, scilicet attendendo sollicite qualiter temptari potest, **56** quomodo stet in tribulacionibus, ne forte inconsueta assumens succumbat laboribus aut ne peniteat eum assumpsisse austeriora propter tribulaciones.

57 Consideret eciam iustus quicumque sit, quomodo homo infidelis conuersus ad fidem subsistat corporaliter, ne vel mendicet vel seruitute opprimatur aut priuetur laudabilibus libertatibus suis, **58** et sollicite prouideatur, ut talis conuersus instruatur continue sancta fide catholica et sanctis virtutum exemplis. Hoc enim placitum est michi, ut pagani conuersi videant mores sanctos et audiant verba caritatis. **59** Nam multi Christiani venientes ad paganos incompositi moribus et indisciplinati gloriantur, quod occidunt eorum corpora et quod lucrantur bona eorum temporalia. **60** Hoc enim michi sic placitum est, sicut hii qui in deserto immolabant vitulo conflatili. **61** Et ideo qui placere michi desiderat eundo ad

paganos, eruat primo sibi oculum cupiditatis et timoris mundani habendo apertum oculum compassionis et intellectus ad lucrandas eorum animas, nichil desiderando nisi vel mori pro Deo vel viuere ad Deum.

62 Insuper iustus habere debet clipeum de calibe. Hoc est pacienciam veram et perseveranciam, ut nec verbis moueatur a caritate Dei nec eciam operibus, sed nec attediatus propter diuersos casus murmuret quoquomodo de iudiciis Dei. **63** Nam sicut clipeus protegit et recipit ictus feriencium, sic paciencia vera defendit in temptationibus; lenit eciam tribulaciones et expeditum reddit hominem ad omnia bona. **64** Hic vero clipeus paciencie non sit formatus de rebus putridis sed de fortissimo ere, quia vera paciencia formari et probari debet ex consideracione paciencie mee, **65** quia ego fui quasi calibis fortissimus, quando magis volui pati mortem quam amittere animas, et magis volui omnia obprobria audire quam descendere de cruce. **66** Ergo qui pacienciam desiderat, imitetur constanciam meam, quia si ego innocens passus sum, quid mirum, si homo dignus iudicio paciatur?

67 Itaque quicumque sic munitus paciencia expandit rethe super pisces et tenuerit eum per decem horas, super aquas habebit sanguinem piscis. Quid autem sunt iste decem hore nisi decem consilia, que homini conuerso sunt facienda? **68** Primum est credere decem mandatis meis, que populo Israeli precepi. Secundum est quod suscipiat et honoret sacramenta ecclesie mee. **69** Tercium est quod debet dolere de peccatis commissis et habere perfectam voluntatem ultra non faciendi ea. Quartum est quod tenetur obedire amicis meis, quantumcumque preceperint ei aliquid, quod est contra voluntatem suam. **70** Quintum est contempnere omnes consuetudines suas prauas, que sunt contra Deum et bonos mores. Sextum est quod habeat desiderium attrahendi ad Deum omnes, quos poterit. **71** Septimum est quod ostendat humilitatem veram in operibus suis, fugiendo praua exempla. Octauum est quod habeat pacienciam in aduersis, non murmurando contra iudicia Dei. **72** Nonum est quod non audiat vel habeat secum eos, qui aduersantur fidei sancte Christiane. Decimum est quod roget Deum et personaliter conetur, ut perseverare valeat in amore Dei. **73** Quicumque igitur conuersus a malo hec decem consilia tenuerit et seruauerit, morietur ab amore mundi et viuificabitur ad amorem Dei.

74 Cum autem piscis, id est peccator extractus ab aquis voluptatis seruare proposuerit hec decem consilia, aperiendus est in dorso, ubi habundancia est sanguinis. **75** Quid autem significat dorsum nisi operacionem bonam cum voluntate bona? Hec flecti debet secundum beneplacitum Dei, quia multociens videtur accio bona hominibus, sed intencio et voluntas actoris non est bona. **76** Ergo iustus, qui peccatorem conuertere appetit, inquirere debet, qua intencione opus bonum aggreditur et qua intencione perseverare disponit. **77** Et si inuenerit in opere spirituali affectum carnalem, vel ad parentes vel ad lucranda temporalia, festinet eum a corde abscidere, quia sicut sanguis malus inducit morbum, impedit gressum, stringit cordis aditum et obstruit cibi appetitum, **78** sic mala voluntas et intencio corrupta obruit amorem Dei, prouocat accidiam, claudit cordis aditum Deo et omne spirituale bonum abhominabile facit Deo. **79** Sed sanguis quem ego desidero recens est et vitam ministrat membris. Hic est voluntas bona et caritas ordinata ad Deum, que preparat aditum ad fidem, sensus ad intelligenciam, membra ad operacionem Deumque allicit ad iuuandum. **80** Hec voluntas preuenitur et infunditur gracia mea, augetur oracionibus et bonitate mea, perficitur operacione bona et dulcedine mea.

81 Ecce isto modo presentandus est michi sanguis piscis. Qui autem sic presentat eum michi, habebit mercedem optimam. Nam torrens tocius dulcedinis fluet in os eius, animam vero eius illustrabit fulgor perpetuus et salus eius innouabitur sine fine.”

Addicio.

82 Nota quod in quarto libro Reuelacionum secundo capitulo Christus incipit loqui mirabilia de pisce et animali et hoc in capitulo CXXIX exponit que illa significant.

Addicio.

83 Hec sequens reuelacio facta fuit in Malffa, ubi quiescit sanctus Matheus.

84 Benedictus sis tu, sancte Mathee apostole, quia fuisti optimus commutator! Mutasti enim terrenum et inuenisti eternum, spreuisti te ipsum et obtinuisti Deum, **85** dimisisti vanam prudenciam, contempsisti quietem carnis et assumpsisti laborem durum. Ideo nunc digne gloriosus es in conspectu Dei.

86 Respondit sanctus Matheus: "Benedictus sit Deus, qui tibi hanc inspirauit salutationem! Verum quia sic placet Deo, ostendere tibi volo, qualis eram ante conuersionem meam, qualis in descripcione euangelii, qualis nunc sum in remuneracione. **87** Ego quippe habui publicum officium, quod sine publico lucro exequi non potui. Attamen talis voluntas mea fuit eo tempore, quod neminem defraudare volui sed desiderabam inuenire viam, qua separarem me ab officio isto, et toto corde adhererem Deo soli. **88** Predicante igitur amatore meo Iesu Christo, tunc inflammabatur sicut ignis verbum vocacionis sue in corde meo, et sic dulciter sapuerunt verba sua michi, quod de diuiciis et honoribus non plus cogitabam quam de paleis. **89** Ymmo flere magis michi placuit et gaudere, quod Deus meus tantillum et tantum peccatorem vocare voluit ad graciam. Adherens quoque Domino verba eius ardencius cepi infigere cordi meo, que nocte et die quasi cibum suauissimum gustando cogitabam.

90 Consummata vero passione Domini mei scripsi euangelium, iuxta quod vidi et audiui et interfui, non propter laudem meam sed ad gloriam redemptoris mei et profectum animarum. **91** Cumque illud scriberem, tantus diuine inflammacionis ardor perseuerabat mecum, quod si tacere voluissem, nullatenus pre ardore intenso valuissem. **92** Nunc autem quod ego ex caritate et humilitate scripsi, multi conantur subuertere et interpretantur ad inuidiam gloriantes se sublimia et celestia scire, si contraria inueniant, volentes magis de euangelio disputare quam secundum voluntatem eius viuere. **93** Ideo parui et humiles intrabunt celum, suberbi et prudentes stabunt foris. Quid enim credit homo presumptor et superbus, quod Deus tocius sapiencie non potuisse sic verba sua temperasse, ut non scandalizentur ex verbis eius homines? **94** Sed iustum est ut veniant scandala, et qui fastidiunt celestia infigantur terrenis. De retribucione vero mea scias, quod vere est sicut scriptum est, quod cor capere non potest nec lingua proferre."

Post multos annos, postquam sponsa habuit illam visionem de septem animalibus que continetur supra eodem libro (CXXV capitulo), exponit ei Christus aliqua, que deficiebant exponenda in dicta visione, ut sequitur. Capitulum CXXX.

1 Filius loquitur: "Dixi tibi prius de septem animalibus, quod unum erat quasi elephas, quod adhuc stat ad arborem inclinatum, non attendens arboris putredinem nec temporis breuitatem et ideo ruet cum arbore, cum se stare putat. **2** Muri enim ecclesie eius dissoluentur calore et aquis ita, ut non sit qui edificet, quia de iniquis edificati sunt, terra diripietur, inhabitantes optabunt mortem et fugiet ab eis et impii dominabuntur iustis; que omnia sic euenerunt. **3** Scias eciam, quod aliud animal, quod de lapide castitatis superbiebat, iam assumpsit sibi cornua agni. Et ideo docebo eum, quomodo saltare debeat muros et quomodo debeat stare in honore. **4** Placet enim michi istius animalis humilitas et ideo dico ei, quod ecclesia sua iam ad summum

gradum ascenderat et diu in superbia stetit. **5** Et ideo laboret ipse, ut clerus continencius viuat, intemperanciam potus minuat, auariciam deponat, humilitatem et timorem assumat; alioquin tribulacionibus humiliabitur et ruina eius tam grauis et magna erit, quod eciam in terris aliis audietur.”

6 Post mortem autem dicti episcopi et creacionem successoris loquebatur Dominus ad me dicens: ”Scias, quod iste episcopus, successor supra proximi dicti episcopi, qui nunc ascendit ad gradum episcopalem, erat unus de quinque seruis quos rex non audiret, nisi clariores oculos obtinerent. **7** Qui episcopus iam ascendit sed attendat ipse bene, et videbit in iudicio meo, quomodo ascendit. Verumptamen precaevo eum de casu Ioab. **8** Ipse enim inuidit se melioribus, propriis innitebatur consiliis, audacia sua erat magna, et ideo presumpsit supra vires, et electum suum pretulit illi quem elegerat Deus. **9** Sed unum consilium utile est isti episcopi, scilicet quod prudencie sue ponat modum et attendat semper non quid potest sed quid decet.”

10 Qui cum dubitaret, utrum esset utile pro remissione peccatorum suorum ire Romam, requisuit me; cui oranti Mater Dei respondit sic dicens: **11** ”Si episcopus iste sentit in animo se indigere auxilio sanctorum, veniat Romam ad indulgencias, quia veniet tempus, quando utile erit sibi. **12** Attendat eciam, quod ungule auium rapacissimarum precidantur, que iam intrauerunt, ne altissima petrarum inhabitent, quia communitatii populi plus tunc nocebunt, et ipse non erit immunis a tribulacione.

13 Preterea scias, quod animal illud, de quo dixeram tibi, quod quando videt umbram suam timet et currendo proficit sibi, ille est qui zelum animarum habet et nec ad verba derogancium sibi deicitur animo **14** nec ad verba assenciencium et adulancium extollitur, qui paratus est moriendo exire de mundo et preparatus est eciam, si michi placet, viuere propter honorem meum. **15** Et ideo occurram ei in via media, sicut pater filio, et auferam eum de custodia sua, sicut iudex misericors, ne videat mala futura. **16** Ille vero qui permanet in lepra sua morietur cum hiis, qui pleno sunt ventre, et sepelietur et iudicabitur cum leprosis, et non sedebit cum iudicantibus orbem.”

Et hic est finis quarti libri secundum Alphonsum.

Item reuelacio que facta fuit in monte Gargano de excellencia angelorum. Capitulum CXXXI.

1 Vedit domina Birgitta multitudinem angelorum psallencium in monte Gargano et dicencium: ”Benedictus sis tu, Deus noster, qui es et eris et fuisti sine principio et sine fine! **2** Tu creasti nos spiritus in ministerium tuum et eciam ad consolacionem hominum et custodiam, qui ita mittimur ad profectum hominum, quod numquam priuamur dulcedine et consolacione et visione tua. **3** Sed quia quasi incogniti videbamur hominibus, voluisti in isto loco ostendere benedictionem tuam et nostram dignitatem a te nobis datam, ut homo addisceret diligere te et eciam auxilium nostrum desiderare. **4** Nunc autem longo tempore locus iste in dignitate habitus a multis contemptus est, et habitatores terre plus appropinquant spiritibus immundis quam nobis, quia suggestiones eorum ardencius sequuntur.”

5 Respondit domina: ”O, Domine meus, creator meus et redemptor meus, da eis auxilium desistere de peccatis et desiderare te corde toto!” **6** Cui Deus: ”Assueti,” inquit, ”sunt sordibus et nisi verberibus non erudiantur. Et utinam in disciplina se cognoscant et resipiscant!”

Incipit tractatus Reuelacionum beate Birgitte ad sacerdotes et ad summos pontifices

Christus loquitur de quinque bonis datis sacerdotibus et de quinque contrariis que faciunt mali sacerdotes.

Capitulum CXXXII.

1 "Ego sum quasi homo discessurus de mundo, qui committit optima que habet amicis suis carissimis. Sic ego sacerdotibus, quos pre omnibus angelis et hominibus elegi, commisi carissimum michi, scilicet corpus meum, cum discederem de mundo, et dedi eis quinque dona: **2** primo fidem meam; secundo duas claves ad infernum et celum; tertio, ut de inimico facerent angelum; quarto, ut consecrarent corpus meum, quod nullus angelorum potest facere; quinto, ut manibus tractarent corpus meum mundissimum. **3** Nunc autem faciunt michi sicut Iudei, qui negabant me suscitasse Lazarum et alia miracula fecisse, scilicet diffamauerunt me voluisse regem fieri, prohibuisse tributum et templum tribus diebus reedificaturum.

4 Sic sacerdotes non loquuntur mirabilia mea nec docent doctrinam meam sed mundi amorem. Suam voluptatem predican et nichil esse reputant quod pro eis feci. **5** Secundo perdiderunt clauem, qua miseris deberent aperire celum; illam autem, qua aperitur infernus, diligunt et reconditam habent in sindone munda. **6** Tercio de iusto faciunt iniquum, de simplice dyabolum, de sano sauciatum, quia omnis qui accedit ad eos cum tribus vulneribus ab eis habebit quartum; **7** si cum quatuor venerit ad eos, recedit ab eis cum quinque, quando viso exemplo prauo sacerdotum peccator fiduciam peccandi sumit et incipit de peccato, quod prius reputabat erubescibile, gloriari. Ideo ipsis erit amplior maledic和平 pre aliis, quia se vita sua perdunt et alios exemplo suo ledunt. **8** Quarto, quia sanctificare me deberent, ore suo vendunt me. Ipsi sunt deteriores Iuda. Iudas enim peccatum suum cognouit et penituit licet infructuose; isti se iustos dicunt et ostendunt. Iudas retulit precium ad emptores; isti autem obseruant suis usibus. **9** Iudas vendidit me, antequam redemisset mundum; isti postquam redemi mundum, et non compaciuntur super sanguine meo, qui plus clamat vindictam quam sanguis Abel. Iudas vendidit me pro solis denariis; isti autem omni mercimonio, quia non accedunt ad me, nisi sperent sibi fructum. **10** Quinto tractant me sicut Iudei. Quid fecerunt ipsis? Posuerunt me super lignum. Isti autem in prelo ponunt me et premunt fortiter.

11 Sed potes querere: Quomodo, cum deitas mea impassibilis est et humanitas? Certe dicam tibi. Deitas mea et humanitas impassibilis est, nec in Deo aliquid contrarium vel dolor cadere potest. **12** Tamen propter voluntatem morandi in peccato, quam sacerdotes habent, sic michi amarum et contrarium faciunt, ac si in prelo, si possibile esset, ponerer. **13** Ipsi denique sacerdotes duo peccata habent, luxuriam scilicet et cupiditatem. Inter hec me ponunt. Sed forte peracta penitencia de hiis, cum post peractum officium iterum habent firmam voluntatem peccandi, quasi in prelo fortiter premunt me. **14** Pascunt quippe maledictas mulieres et tuto loco ponunt, ut voluptatem suam perficiant et me repellant. Hiis blandiuntur et delectantur in eis; me autem, a quo sunt, nolunt videre.

15 Ecce, amici mei, quales sacerdotes sunt! Ecce, angeli mei, quibus seruitis! Si iacerem ante vos, sicut in altari iaceo ante eos, nullus vestrum auderet me contingere, sed terreremini. **16** Ipsi autem quasi fures et proditores produnt me; ipsi quasi meretrices contingunt me; ipsi quoque immundiores pice non erubescunt appropinquare michi, qui Deus sum et Dominus glorie.

17 Propterea, sicut dictum est Israeli, septem plage venient super vos. Vere ille septem plage venient super sacerdotes!"

Christus comparat se Moysi educenti Israel per Mare Rubrum, ubi aque stabant a dextris et sinistris quasi murus; et quod Israel, id est mali sacerdotes negligunt Christum et diligunt vitulum aureum, id est mundum; et quod Christus honorauit sacerdotes septem ordinibus, a quibus septempliciter sunt auersi.

Capitulum CXXXIII.

1 Mater loquebatur: "Sic audi fuerunt inimici Filii mei in sanguinem eius, ut eciam eo mortuo vulnerauerunt eum. Prepara ergo te, quia Filius meus cum exercitu magno venit loqui tibi!" **2** Inde veniens ipse ait: "Ego similaui me prius Moysi in figura, qui cum educeret populum, stabat aqua, quasi murus esset, a dextris et a sinistris. **3** Ego certe sum ille Moyses in figura, qui eduxi populum Christianum, id est aperui eis celum et ostendi eis viam, quam incederent, liberans eos a Dyabolo quasi a Pharaone, qui eos oppresserat.

4 Ibant autem quasi inter duos muros maris a dextris et sinistris, quorum unus non ulterius procederet, alter non retrocederet, sed sic ambo firmiter starent. **5** Hii duo muri erant due leges. Primus erat vetus lex, que ulterius non procederet. Secundus erat noua lex, que non retrocederet. **6** Inter hos duos muros scilicet leges firmiter stantes ego ibam ad crucem quasi per Mare Rubrum, quia sanguine meo rubricatum est totum corpus meum, rubricatum est lignum prius album, rubricata est lancea, et redemi populum meum captiuatum, ut me diligeret.

7 Nunc autem negliget me Israel, id est sacerdotes, et diligunt alium deum. Diligunt enim, sicut prius dixi, vitulum aureum per affectum mundi; qui est dulcis per voluptatem, et ardet in eis per affectionem, stat fortis cum pedibus et capite et gutture gule. **8** Habent me insuper pro ydolo et claudunt super me, ne ingrediar; offerunt michi thus sed non placent michi, quia non pro me sed pro se faciunt; curvant michi genu obediencie et voluntatis sue, sed ad desiderium suum, ut eis aliquid temporale impendam, clamant sed aures mee non audiunt, quia non ex deuocione nec intencione. **9** Audite, o exercitus meus et omnes angeli! Elegi sacerdotes pre omnibus angelis et iustis et dedi eis solis potestatem, ut corpus meum tractarent. Si enim voluissem, potuissem bene elegisse angelum aliquem ad tale officium. **10** Sed tantum dilexi sacerdotes, ut eis tantum honorem concederem, et constitui eos, ut starent ante me quasi in septem ordinibus. **11** Deberent enim esse pacientes quasi oves, stabiles quasi murus boni fundamenti, animosi quasi milites, sapientes quasi serpentes, pudici quasi virgo, mundi quasi angelus, ardentes amore quasi sponsa ad cubile viri sui.

12 Nunc autem auerterant se pessime. Sunt enim feri quasi lupi rapaces, qui in fame et cupiditate sua nulli cedunt, nulli deferunt honorem, nichil erubescunt; **13** secundo instabiles quasi lapis in muro infirmo, qui diffidunt de fundamento, id est de Deo, quod non possit eis dare necessaria vel non velit sustentare eos; **14** tertio sunt in tenebris quasi fures ambulantes in tenebris viciorum nec sunt audaces quasi milites ad pugnandum pro honore Dei vel ad aggrediendum opus virile; quarto stant quasi asinus, qui caput inclinat ad terram: sic ipsi stolidi et insipientes semper terrena meditantur et presencia, numquam futura; **15** quinto impudici sunt quasi meretrices, procedunt ad me in habitu meretricio, omnia membra habent ad luxuriandum; sexto sunt quasi pice deformiter maculati: omnes qui accedunt ad eos deturpantur; septimo sunt abhominabiles quasi vomitus et leuius et melius esset michi accedere ad vomitum quam ad delectacionem habendam cum eis. **16** Ita autem abhominabiles sunt, ut omnis exercitus celi abhominetur eos. Quid autem turpius est quam quod aliquis nudus os suum in inferiora membra mitteret et comedere stercora sua et biberet urinam suam? Sic sunt isti turpes in conspectu meo.

17 Cum autem induunt se vestibus sacerdotum, que sunt vestes anime in figura, quia vestes ille designant talem debere animam esse, induunt se quasi veri proditores. **18** Sicut enim ille qui fidem dederat inimico domini sui, si pugnare debet cum domino suo contra eum, hebetat omnia arma sua, ne noceant inimico, sic isti cum induunt vestes sacerdotum, que sunt vestes anime in figura, quibus contra Dyabolum muniri deberent, omnia hebetata sunt, ne noceant Dyabolo et ne timeat ea. **19** Sed queritur: Quomodo? Utique cum induunt se armis continencie, hebetata sunt per luxuriam. Ideo non pungunt Dyabolum. Cum autem induunt se armis caritatis, nichil nocent, quia hebetata sunt per maliciam. Arma itaque ista, id est vestes, quibus induuntur, non sunt ad defensionem Domini sed ad visionem solam, sicut solent proditores aliud facere et aliud ostendere.

20 Sic itaque, o amici mei, isti maledicti sacerdotes simulatorie accedunt ad me quasi proditores. Attamen ego idem, qui sum Deus et Dominus vester et tocius creature in celo et in terra, venio ad eos et iaceo ante eos in altari verus Deus et verus homo. **21** Postquam dixerint illa verba "Hoc est corpus meum", venio ad eos ut sponsus, ut voluptatem deitatis cum eis habeam, sed inuenio in eis Dyabolum. Ideo cum applicant me ad os suum, recedo ab eis cum deitate et humanitate mea, et Dyabulus, qui in presencia Domini fugit perterritus, letus redit.

22 Audite insuper, amici mei, qualem dignitatem contuli sacerdotibus pre omnibus angelis et hominibus. Ego dedi eis quinque: Primo potestatem ligandi et soluendi in celo et in terra; secundo dedi eis, ut de inimico pessimo facerent amicum, de Dyabolo angelum meum; **23** tertio dedi eis potestatem predicandi verba mea; quarto potestatem consecrandi et sanctificandi corpus meum, quod nullus angelorum facere potest; quinto tractare corpus meum, quod nullus vestrum, si iacerem ante vos, auderet contingere.

24 Nunc conqueror super eos quinque: Primo, quod infernum aperiunt et claudunt celum ingredientibus; secundo, quia de amico faciunt inimicum et eum, qui accedit ad eos cum uno vulnere, vulnerant duobus, quia videns vitam confusam sacerdotum cogitat secum: 'Si ipse facit, magis ego faciam;' **25** tertio, verba mea adnichilant et mendacium suum affirmant, veritatem meam negant; quarto, vendunt me ore suo, quem sanctificare deberent; quinto corpus meum amarius crucifigunt quam Iudei.

26 Ecce amici mei, quos elegi et sic dilexi, quomodo michi rependunt. Ego coniunxi eos michi cum corpore meo, et ipsi dissoluunt vinculum nostrum. Ideo sicut proditores non sicut sacerdotes iudicabuntur, si se non emendauerint."

Christus dicit, quod honorauit sacerdotes pre omnibus angelis et hominibus, sed ipsi pre ceteris eum prouocant; quorum dampnacio in anima unius sacerdotis eternaliter dampnata manifestatur. Capitulum

CXXXIII.

1 Maria ait: "Recordare passionem Filii mei! Ipse iam venit." Et ecce apparuit sanctus Iohannes baptista et ait ad beatam Virginem Mariam: "In mille annis numquam fuit tanta ira Dei super mundum." **2** Cumque venisset Filius, ait ad sponsam: "Una hora est a principio mecum, et quot vobiscum tempora sunt? Hoc non est mecum nisi quasi una hora. Dixi tibi prius de sacerdotibus, quod inter omnes angelos et homines ipsos elegi; nunc ipsi pre ceteris michi sunt molestiores." **3** Et ecce apparuerunt demones habentes unam animam in manibus dicentes ad iudicem: "Ecce pugil." Respondit iudex: "Quia corporales non audiunt ea, que sunt

spiritus, nec oculus corporalis potest videre spiritualia, tamen propter istam que astat, cuius oculos intelligencie aperio, dicite, qua iusticia habetis illam animam!”

4 Responderunt: ”Per IX iura vel transgressiones possidemus eam. Primo tribus fuit infra nos, tribus aliis equalis fuit nobis, tribus aliis fuit supra nos. Primum ius est, quod fuit extra bonus et intus malus. Secundum, quia quandoque fuit plenus cupiditate sua et gula, quandoque abstinuit propter utilitatem corporis vel infirmitatem. **5** Tercio quandoque fuit seuerus in verbis et operibus, sed quandoque repressa erat seueritas et malicia sua aliqua de causa sibi ipsi utili. Nos autem non habemus ista, quia tales sumus extra quales intus, semper seueri in malicia, semper cupidi ad malum.

6 Tribus erat nobis par, quia tribus cecidimus, scilicet superbia, cupiditate et inuidia. Hec tria ipse habuit. Tribus fuit supra nos et maior in malicia quam nos, quia sacerdos erat et corpus tuum tractabat. **7** Primo quia os suum non custodiuit, cum quo proferret verba tua; sed sicut canis latrat, sic ipse protulit verba tua sicut canis. Cumque proferret verba tua, nos timuimus, quasi ille qui audit aliquem terribilem sonum, quo protinus territi recessimus ab eo. Ipse autem sine verecundia et timore substitit. **8** Secundo non custodiebat manus suas, cum quibus tractabat mundissimum corpus tuum, sed omni delectabili maculabat. Cumque tractaret manibus corpus tuum, quod dicto verbo hoc idem erat, quod in ventre virginis fuit et crucifixum est, nos sicut homo timore toto corpore concussus timuimus, quamuis non ex caritate aliqua diuina sed ex timore potencie tue et magnitudine virtutis tue. Ipse autem stabat imperterritus et non curauit. **9** Cumque applicuit te ad os suum, quod erat quasi vas immundissimum omni spurcicia, nos fuimus quasi homines dissoluti viribus et quasi ille, cui omnis virtus deficit, necnon et quasi mortui pre timore, cum tamen immortales sumus, et ille non timuit nec contremuit te contingere. **10** Sed quia dominum maiestatis non decuit intrare in tam confusum vas, recessisti ab eo cum deitate tua et humanitate, et illo solo remanente, qui pre timore ad horam discessimus, reuertebamur ad eum cum furore.

11 In hiis omnibus precellit nos in malicia et ideo iuste possidemus eum. Ergo quia iustus iudex es, fac nobis de eo iudicium.” **12** Respondit iudex: ”Audio quid exigitis, sed tu, misera anima, dic ista audiente, qualem circa finem tuum, cum adhuc ratione et robore corporis fruereris, habuisti voluntatem?”

13 Respondit illa: ”Voluntas mea fuit sine fine peccare nec umquam desistere; sed quia sciui me non semper victurum, statui usque ad extremum punctum peccare et in tali intencione separabar a corpore.” **14** Tunc ait iudex: ”Consciencia tua est iudex tuus. Ergo in conscientia tua dic, quale iudicium mereris!” Respondit anima: ”Iudicium meum est amarissimum supplicium et pessimum sine fine duraturum absque omni misericordia.” Tunc demones post auditum iudicium eius discesserunt cum ea.

15 Tunc Dominus dixit ad illam: ”Ecce, sponsa, quid sacerdotes faciunt michi! Ipsos pre omnibus angelis et hominibus elegi et super omnes honorauit. Ipsi autem pre omnibus Iudeis et gentilibus et pre omnibus demonibus me magis prouocant.”

Christus ostendit, qualem caritatem fecerat sacerdotibus; sed ipsi ingrati quasi adultera sponsa Christum contempnunt, tres alios amatores, scilicet mundum, carnem et Dyabolum diligentes; et hoc ostendit in anima unius sacerdotis nouiter defuncti eternaliter condempnati. Capitulum CXXXV.

1 "Ego sum quasi sponsus, qui sponsam suam cum omni caritate dicit in domum suam. Sic ego coniunxi sacerdotes michi cum corpore meo, ut ipsi essent in me et ego in eis. **2** Sed ipsi respondent michi sicut adultera sponso: 'Verba tua non placent michi, diuicie tue vane, voluptas tua quasi venenum. Ego habeo tres, quos magis diligere volo et sequi.' **3** Cui vir mansuetus respondit: 'Sponsa mea, audi me, expecta magis, quia verba tua debent esse mea, voluntas tua voluntas mea, diuicie tue diuicie mee, voluptas tua voluptas mea!' **4** Que nullo modo vult audire sed discedit ad illos tres. Cumque discessisset tam longe, ut non videretur sponsus, primus illorum, id est mundus, ait: 'Hic est diuisio viarum et ego non possum amplius sequi eam. Ideo ego volo habere omnes diuicias eius.' **5** Secundus dicit, id est corpus: 'Ego mortalis sum et cibus fiam vermium, ipsa autem immortalis, ideo relinquo eam hic.' Tercius ait, id est Dyabolus: 'Ego sum immortalis et sine fine mansurus; quia noluit esse cum viro suo, sine fine me sequetur.'

6 Sic faciunt michi isti maledicti sacerdotes. Ipsi deberent esse membrum meum et ita excellentes pre aliis sicut digitus in manu, sed ipsi deteriores sunt Dyabolo. Et ideo pre omnibus dyabolis profundius submergentur in infernum, nisi se emendauerint. **7** Ego voco eos quasi sponsus. Omne, quod possum, facio eis, sed eo longius discedunt, quo plus voco. Verba mea non placent eis, diuicie mee onerose sunt, dulcia verba mea quasi venenum abhominantur. **8** Curro post eos monendo quasi pius pater, supportando quasi mitis dominus, donis attrahendo quasi bonus sponsus, sed ipsi eo magis auertunt se, quo plus voco. **9** Tres amicos magis quam me diligunt, id est mundum et corpus. Ideo tertius, id est Dyabolus, recipiet eos et numquam dimittet. Ideo ve eis, quod umquam sacerdotes et membra mea facti sunt. **10** Ille sacerdos, qui nunc moriebatur, habuit tria. Primo superbiam, quia vestiuit se sicut episcopus, secundo laudatus <est> de sapiencia, tercio ad quocumque voluit et corpori placuit flexit voluntatem suam. **11** Abstinuit pro salute corporis, et quidquid ei placuit fecit, non ad voluntatem meam. Sed quid nunc profuit ei? Ideo pro superbia est ante me quasi homo ad medietatem corruptus et fetidus et plenus ulceribus et corrupta carne. **12** Pro laude est neglectus ante me et negligetur ab hominibus. Pro voluntate propria corpus receperunt vermes, animam demones sine fine cruciantes.

13 Ecce miseri, quid diligunt et quid faciunt! Ubi nunc amici eius, ubi bona, ubi honor et gloria? Pro hiis omnibus nunc habebit perpetuam confusionem. **14** Ipsi emunt paruum, id est temporalem honorem, et dimittunt magnum, id est eternum gaudium. Ve talibus, quod umquam nati fuerunt! Ipsi enim profundius cadunt in infernum quam quisquis alius."

*Reuelaciones infrascriptas habuit in visione spirituali diuinitus deuota ancilla Christi sancte memorie
domina Birgitta stando in oracione, que diriguntur ad summos pontifices Clementem VI, Innocencium VI,
Urbanum V, Gregorium XI, que tractant de reducendo sedem apostolicam et Romanam curiam ad Romam
et de reformacione Ecclesie ex precepto Dei omnipotentis. Capitulum CXXXVI.*

0 <Pars prior> Christus per duos annos ante iubileum dat sponse verba hic contenta et precipit illa mittere pape Clementi <sexto>, scilicet quod faceret pacem inter reges Francie et Anglie et quod veniret in Italiam et annunciatet annum iubileum. Et hanc reuelacionem portauit dominus Hemmingus, episcopus Aboensis, et frater Petrus, prior monasterii Aluastra Cisterciensis ordinis de regno Swecie.

1 Filius Dei loquitur ad sponsam dicens: "Scribe ex parte mea pape Clementi verba hec: Ego exaltaui te et ascendere te feci per omnes gradus honoris. Surge igitur ad faciendum pacem inter reges Francie et Anglie, qui sunt periculose bestie, animarum proditores. **2** Veni deinde ad Italiam et predica ibi verbum et annum salutis et dilectionis diuine! Et vide plateas stratas sanctorum meorum sanguine, et dabo tibi mercedem illam que non finietur. **3** Attende eciam tempora priora, in quibus audacter ad iram prouocasti me, et silui, in quibus fecisti que voluisti et non debuisti, et ego quasi non audiens paciens fui. **4** Quia tempus meum nunc appropinquat et exquiram a te negligenciam et audaciam temporis tui. Et sicut per omnes gradus ascendere te feci, sic descendes spiritualiter per alios gradus, quos experieris veraciter in anima et corpore, nisi obedieris verbis meis. **5** Et silebit lingua tua magniloqua, et nomen tuum, quod vocasti in terris, in obliuione et opprobrio erit in conspectu meo et sanctorum meorum. Exquiram eciam a te, quam indigne (permissione tamen mea) ad omnes gradus ascendisti, quod ego Deus melius scio, quam tua negligens conscientia recordatur. **6** Queram quoque a te, quantum in reformacione pacis regum teputisti et quantum in aliam partem declinasti. Insuper non erit in obliuione, qualiter cupiditas et ambicio in Ecclesia floruit tempore tuo et aucta est, et quod multa reformatre et emendare potuisti sed tu, amator carnis, noluisti. **7** Surge igitur, antequam nouissima hora tua appropinquans veniat, et negligencias priorum temporum penultimo tempore zelando extingue! Si autem dubitas, cuius spiritus verba ista sint, ecce regnum et persona nota sunt, in quibus stupor et mirabilia facta sunt. **8** Iusticia enim et misericordia, de quibus loquor, appropinquant ubique terrarum. Conscientia enim tua racionabile dicit esse illud, quod moneo, et caritatium esse, quod suadeo. **9** Et nisi pacientia mea seruasset te, iam profundius ultra alios predecessores tuos descendisses. Ergo inquire in libro conscientie tue et vide, si veritatem loquor!"

10 <Pars posterior> Verba Christi ad sponsam mencionem facienda de Papa Innocencio VI, qui fuit post Clementem.

11 Filius loquitur ad sponsam dicens: "Iste Papa Innocencius est de ere meliori quam antecessor eius et materia apta ad recipiendum colores optimos, sed malicia hominum exigit, ut cicius tollatur de medio. **12** Cui voluntas sua bona reputabitur in coronam et glorie augmentacionem. Verumtamen, si verba mea librorum tibi data audiret, fieret melior, et qui deferrent ad eum verba sublimius coronarentur."

*Reuelacio tangens papam Urbanum, quam habuit sponsa Christi in Roma super confirmatione regule
sancti Salvatoris et super indulgenciis sancti Petri ad vincula a Christo concessis monasterio beate
Virginis in Wazstenom. Capitulum CXXXVII.*

1 Filius Dei loquitur ad sponsam: "Qui habet glomeracionem filorum, in qua est intus aurum optimum, non desinit filare, donec inuenierit aurum. Quo inuento utitur eo possessor ad honorem et commodum suum. **2** Sic iste papa Urbanus aurum est ductile ad bona sed sollicitudinibus mundi vallatus est. **3** Ideo vade et dic ei ex parte mea: 'Tempus tuum breue est. Surge et attende, quomodo anime tibi commisso saluentur! Ego obtuli tibi regulam religionis, que fundari et incipi debet in loco Watzstenom in Swecia, que de ore meo processit. **4** Nunc autem volo, ut non solum auctoritate tua confirmetur sed et benedictione tua, qui vicarius meus in terris es, roboretur. **5** Ego dictau eam et dotaui spirituali dote, scilicet concedendo indulgencias, que sunt in ecclesia sancti Petri ad vincula in Roma. Tu ergo approba coram hominibus quod coram exercitu meo celesti est sanctitum. **6** Si autem queris signum, quod hec ego loquor, hoc iam ostendi tibi,

quia quando primum audisti verba mea, anima tua in aduentu nuncii mei spiritualiter fuit consolata. Si autem queris ulterius signum, dabitur tibi sed non sicut Ione prophete.'

7 Tu autem sponsa mea, cui dictam graciam feci, si non poteris habere litteram et graciam pape et sigillum super concessione indulgencie dicte nisi precedente pecunia, sufficit tibi benediccio mea. 8 Ego enim approbaboo et confirmabo verbum meum et omnes sancti erunt tibi testes, Mater mea sit tibi sigillum, Pater meus confirmator et Spiritus sanctus adueniencium ad monasterium tum consolator."

Hec est revelacio, quam habuit sponsa Christi in Roma de eodem papa Urbano antequam rediret Awinionem anno Domini MCCCLXX°, quam ipsa presentauit ei in monte Flasconis. Capitulum CXXXVIII.

1 Vigilante de nocte prefata persona in oracione visum fuit sibi, ac si una vox loqueretur procedens a quodam circulo splendoris ad modum solis. Que quidem vox dixit sibi hec verba, que sequuntur.

2 "Ego sum Mater Dei, quia sic placuit sibi. Ego eciam sum Mater omnium, qui sunt in superno gaudio. Quamuis infantes habeant suam necessitatem secundum suam voluntatem, tamen in augmentum sue leticie cumulatur eis gaudium ex eo, quod vident faciem matris sue blandam. 3 Sic placet Deo dare omnibus in celesti curia gaudium et exultacionem de mee virginitatis puritate et mearum virtutum pulchritudine, quamuis habeant incomprehensibiliter ex eius diuinitatis potencia totum bonum. 4 Sum eciam Mater omnium, qui sunt in purgatorio, quia omnes pene, que debentur purgandis pro peccatis suis, in qualibet hora propter preces meas quodammodo mitigantur. Ita placet Deo, et aliisque ex hiis penis, que debentur eis de rigore diuine iusticie, minuuntur.

5 Ego sum eciam Mater tocius iusticie, que est in mundo, quam iusticiam Filius meus dilexit dileccione perfectissima. Et sicut materna manus semper parata est ad opponendum se periculo in cordis filii sui defensionem, si aliquis niteretur in sui lesionem, ita ego sum parata iugiter iustos qui sunt in mundo defendere et de omni spirituali periculo liberare. 6 Ego eciam sum quasi mater omnium peccatorum se volencium emendare et habencium voluntatem in Deum amplius non peccare, et sum voluntaria ipsum peccatorem in meam defensionem accipere sicut caritatiua mater, dum videret filium nudum ab inimicis acutos gladios habentibus sibi occurrentem. 7 Nonne ipsa tunc opponeret se periculis viriliter, ut filium suum de manibus inimicorum suorum liberaret et eriperet et in sinu suo gaudenter conseruaret? 8 Ita facio et faciam ego omnibus peccatoribus misericordiam a Filio meo potentibus sub vera contritione et diuina dileccione.

9 Audi tu et attende diligenter, quid ego volo dicere de duobus filiis meis, quos tibi volo nominare. Primus quem dico est filius meus Jesus Christus, qui natus est de mea carne virginea ad hoc, ut suam caritatem manifestaret et animas redimeret. 10 Propter quod non pepercit sui corporis laboribus nec sui sanguinis effusionibus nec dignatus est audire contumelias et sustinere sue mortis penam. Ille est ipse Deus et est omnipotens in eterna leticia. 11 Secundus, quem reproto pro filio meo, est ille qui residet in papali sede in sede Dei in mundo, si obedierit preceptis suis et ipsum dilexerit perfecta caritate.

12 Modo volo aliquid loqui super isto papa, qui nominatur Urbanus. Propter precem meam obtinuit ipse Spiritus sancti infusionem, ut deberet ad Romam et Italiam declinare ad nichil aliud, nisi ut misericordiam et iusticiam ficeret, fidem catholicam roboraret, pacem reformaret et sic sanctam Ecclesiam innouaret. 13

Sicut mater dicit filium suum ad locum, ubi sibi placet, dum ostendit sibi ubera sua, ita duxi ego Urbanum papam mea prece et opere Spiritus sancti de Awinione ad Romam sine quouis periculo suo corporali. **14** Quid fecerat ipse michi? Iam vertit ad me dorsum et non faciem et intendit a me recedere; et dicit eum ad hoc malignus spiritus cum sua fraude. Nam tedium habet de diuino labore et libitum ad suum commodum corporale. **15** Item trahit eum Dyabolus cum delectacione mundiali, nam nimis desiderio est sibi terra nacionis sue mundano more. Item trahitur carnalium amicorum consiliis, qui magis attendunt suam delectacionem et voluntatem quam Dei honorem et voluntatem vel anime sue profectum et salutem. **16** Si contigerit ipsum redire ad terras, ubi fuit electus papa, ipse habebit in breui tempore unam percussionem siue alapam, quod dentes sui stringentur seu stridrebunt; visus caligabit et fuscus erit et tocius corporis sui membra contremiscent; **17** Ardor Spiritus sancti paulisper tepescet in eo et recedet et omnium amicorum Dei preces, qui pro ipso orare decreuerunt lacrimis gemebundis, torpebunt et corda ad eius dilectionem frigescent. **18** Et de duobus coram Deo reddet racionem; primo de hiis que fecerat in papali sede, secundo de hiis que omiserat ex hiis, que potuisset in Dei honorem fecisse in sua magna maiestate.”

Hec que sequitur est reuelacio prima que fuit missa domino Gregorio pape XI° per dominum Latinum de Ursinis. Capitulum CXXXIX.

1 Una persona vigilans et non dormiens sed in oracione persistens in spiritu rapta fuit. Et tunc omnes corporis eius vires quasi deficere videbantur, sed cor ipsius inflammabatur et exultabat caritatis ardore eiusque anima consolabatur, et quodam diuino robore confortabatur spiritus eius, ac eciam tota conscientia eius replebatur intellectu spirituali.

2 Cui persone tunc apparuit visio talis. Audiebat enim tunc ipsa quandam vocem dulcisonam eam taliter alloquentem: ”Ego sum illa que genui Dei filium, verum Deum, Iesum Christum. **3** Quoniam alias dixi tibi aliqua verba, que Urbano pape deberent nunciari, nunc eciam dico tibi aliqua, que mittenda sunt pape Gregorio. Sed ut melius intelligentur, dicam tibi ea per quandam similitudinem. **4** Sicut enim pia mater dilectum videns filium suum nudum et frigidum in terra iacentem et ad erigendum se vires corporis nullas habentem, sed pre desiderio fauoris et lactis materni querulis vocibus cum vagitu plorantem, **5** que tunc tenera dileccione compassa filio festine currit et, ne deficiat frigore, pia manu materna de terra eleuat ipsum, quem statim leniter fouet et materno calore sui pectoris mitissime calefacit eumque dulciter mamillarum suarum lacte cibat, **6** sic ego Mater misericordie facere volo pape Gregorio, si in Romam et Italiam redire voluerit animo permanendi et voluntatem habuerit ibidem ut pius pastor plangendi compassionis lacrimis gemebundis animarum sibi ouium commissarum eternam perdicionem et earum dampna et dispendia dolorosa, et innouare proposuerit statum Ecclesie cum humilitate et pastorali debita caritate.

7 Tunc enim sicut pia mater eleuabo eum de terra velut nudum filium frigidum, id est separabo eum et totum eius cor ab omni delectacione terrena et ab omni mundano amore, que sunt contra Dei voluntatem, et calefaciam eum suauiter materno calore scilicet caritatis mee, que est in pectore meo. **8** Saturabo eciam ipsum lacte meo, id est oracione mea, que similis est lacti. O, quam innumerabiles sunt illi, qui lacte oracionis mee sustentantur et dulciter saturantur! **9** Isto enim lacte saturabo eum, id est oracione mea, quam faciam pro eo ad Dominum et Deum meum, qui est filius meus, ut ipse dignetur misereri et unire Spiritum suum sanctum cum interno sanguine cordis eiusdem Gregorii pape. **10** Tunc autem ipse saciabitur vera

sacietate perfecte in tantum, quod ulterius ad nichil aliud desiderabit in hoc seculo viuere, nisi ut possit Dei honorem totis suis viribus augmentare.

11 Ecce iam nunc ostendi ei maternam caritatem, quam faciam sibi, si obedierit, quia voluntas Dei est, ut transferat sedem suam ad Romam cum humilitate. **12** Modo eciam, ne in posterum ignorancia excusetur, ego precauens eum caritate materna annuncio ei ista que sequuntur, videlicet quod si predictis ipse non obedierit, indubitanter senciet iusticie virgam, id est filii mei indignacionem, quia tunc abbreuiabitur vita eius et vocabitur ad iudicium Dei. **13** Nulla tunc ei temporalium potestas auxiliabitur dominorum, non ei sapiencia et sciencia proderunt medicorum nec flatus aeris sue natalis patrie proficiet ei ad eius vitam aliquatenus prorogandam.”

14 Quasi dicat, quod si eciam venerit Romam et predicta non fecerit, tunc abbreuiabitur eius vita nec proderunt ei medici nec reuertetur ad Awinionem, ubi possit ei proficere aer natalis patrie, sed pocius morietur.

Nota ista quatuor sequentia, que precipiuntur pape, scilicet quod veniat Romam cum humilitate, secundo quod animo permanendi, tertio quod plangat dampna perditionem animarum, quarto quod renouare conetur Ecclesiam Dei et cetera. Que omnia si non fecerit, abbreuiabitur eius vita, ut habetur superius ibi "Modo eciam" et cetera. Et ideo non sufficit pape quod solummodo veniat Romam, nisi perficiet illa supradicta quatuor, que ei precipiuntur. Sequitur visio secunda, quam portauit dominus comes de Nola eidem pape Gregorio XI^o. Capitulum CXL.

1 Laus Deo sit pro omni dilectione sua et seruicium, et honor sanctissime Marie preciose virginis sue matri pro compassione, quam habet super omnes, quos Filius suus redemit suo sanguine precioso! **2** Pater sancte, hinc est quod cuidam persone, quam vos bene nostis, vigilando in oracione existenti contigit, quod senciebat cor suum totum inflammati diuine caritatis ardore et quadam visitacione Spiritus sancti.

3 Que quidem persona tunc audiuit quandam vocem sibi dicentem: ”Audi tu, que vides spiritualia, et dicio illud, quod tibi modo precipitur, et scribe Gregorio summo pontifici hec verba, que modo audies. **4** Ego que modo loquor tibi sum illa, quam Deo placuit in matrem sibi eligere, qui de carne mea sibi sumpsit corpus humanum. Ipse quidem filius meus fecit cum Gregorio papa magnum opus misericordie, quando scilicet per me fecit sibi dici sanctissimam suam voluntatem, quam in priori reuelacione sibi transmissa ei plenius intimauit. **5** Et hoc factum est pocius propter oraciones et lacrimas amicorum Dei quam propter eius aliqua merita precedencia. Ideo ego et Dyabolus inimicus eius grande certamen habuimus super eum. **6** Nam ego monui eundem Gregorium papam in alia littera, ut festinanter ad Romam seu Italiam se transferret cum humilitate et diuina caritate et ut ibidem suam sedem poneret et usque ad mortem omnino permaneret. **7** Dyabolus vero et aliqui consiliarii eiusdem pape consuluerunt ei tardare et in illis ubi nunc est partibus demorari et hoc propter carnalem amorem et eciam propter parentum et amicorum carnalium mundanam delectacionem et consolacionem. **8** Et ideo Dyabolus maiorem nunc habet iusticiam et occasionem temptandi eum, quia magis obediuit consilio Dyaboli et amicorum carnalium quam Dei et mee voluntati.

9 Verum quia ipse papa desiderat de voluntate Dei adhuc plenius certificari, ideo iustum est, ut tale suum desiderium impleatur. Nouerit igitur certissime hoc, quod infra sequitur, esse voluntatis Dei, **10** videlicet quod sine dilacione quacumque ipse veniat ad Italiam seu Romam et omnino taliter faciat et acceleret iter suum cum festinancia ad veniendum, quod in mense Marcii vel ad ultimum intrante Aprili proxime futuro ipse personaliter in predicta urbe seu prouincia Italia omnino sit ingressus, si ipse umquam in matrem voluerit me habere. **11** Si autem in predictis inobediens fuerit, veraciter sciat, quod numquam amplius tali consolacione, id est alia mea visitacione seu reuelacione visitabitur in hoc mundo sed post mortem suam respondebit coram diuina iusticia, cur mandatis Dei noluerit obedire. **12** Si vero in predictis obedierit, tunc eciam ego complebo ea, que promisi in reuelacione illa a me sibi primitus destinata.

13 Notum eciam facio eidem pape, quod numquam erit sic firma et tranquilla pax in Francia, quod habitantes in ea plena securitate et concordia possunt ullenatus congaudere, antequam populus regni illius placauerint Deum filium meum per aliqua magna opera pietatis et humilitatis, quem suis multis prauis operibus et offensionibus ad indignacionem et iram hactenus prouocauerunt. **14** Propterea nouerit, quod iter seu passagium illorum armigerorum de inquis societatibus iniquorum, quod ipsi facere volunt ad sanctum sepulchrum Filii mei, non magis placet eidem Filio vero Deo quam aurum illud, quod populus Israel proiecit in ignem, de quo Dyabolus conflatilem vitulum compaginavit, quia in eis est superbia et cupiditas. **15** Et si aliquam habent voluntatem eundi ad memoratum sepulchrum, magis est propter superbiam et cupiditatem pecunie quam propter amorem et honorem Dei.” Et hiis dictis hec visio disparuit.

16 Post hec autem subiunxit et dixit michi mater Dei: ”Item dic episcopo meo heremite, quod claudat istam litteram et sigillet eam et postea scribat in alio papero copiam eius et ostendat eandem copiam apertam illi abbatи nuncio pape et Nolano comiti, ut ipsi legant illam et sciant, quid continetur in ea. **17** Postquam vero ipsi eam legerint, dimittat eis supradictam litteram clausam, sigillatam, quam ipsi statim mittant pape Gregorio sine mora. Sed copiam illam apertam postquam legerint, non dimittat eis, sed volo, quod dilaceret et rumpat eam coram oculis eorum in frusta. **18** Quia sicut littera, que est una, dilacerabitur in multa frusticula, sic, nisi papa tempore et anno prefixo venerit in Italiam, terre Ecclesie, que sub una eius obediencia et subieccione modo eidem obediunt, diuidentur in plures partes in manus tyrannorum. **19** Et firmissime scias, quod in augmentum tribulacionis ipsius pape non solum ipse audiet sed et videbit oculis suis esse vera que dico. Nec poterit cum tota manu potencie sue reducere terras predictas Ecclesie ad pristinum statum sue obediencie et pacis. **20** Ista enim verba, que nunc dico tibi, adhuc non sunt dicenda nec scribenda illi abbatи, quia semen occultatur in terra, donec fructificet in spicam.”

Reuelacio facta sponse in Neapoſi pro eodem, quando rediit de Ierusalem. Sed hanc reuelacionem non misit pape, quia non fuit ei preceptum diuinitus. Capitulum CXLI.

1 Christus apparuit domine Birgitte oranti pro papa Gregorio XI et dixit ei: ”Attende, filia, ad verba que loquor! Scias enim, quod iste papa Gregorius est similis paralitico, qui non mouet manus ad operandum nec pedes ad ambulandum. **2** Sicut enim infirmitas paralisis generatur ex sanguine et humore corrupto et frigore, sic istum papam tenet quasi impeditum immoderatus amor sanguinis sui et frigus tepiditatis mentis sue ad me. **3** Sed scias, quod adiutorio virginis Marie Matris mee iam incipiet mouere manus et pedes, scilicet faciendo voluntatem meam et honorem meum in veniendo Romam. Ideo scias certissime, quod ipse veniet Romam et ibi inchoabit viam ad aliqua bona futura sed non consummabit.”

4 Tunc autem respondit domina Birgitta: ”O, Domine Deus meus! Regina Neapolis et multi alii dicunt michi, quod impossibile est eum venire Romam, quia rex Francie et cardinales et alii quamplurima ei ponunt impedimenta ad veniendum. **5** Et audiui, quod multi insurgunt ibi dicentes se habere spiritum Dei et diuinis reuelaciones et visiones, qui pretextu illarum dissuadent ei venire. Et ideo timeo multum, quod impediatur aduentus eius.” **6** Respondit Deus: ”Audisti legi, quod Ieremias erat in diebus illis in Israel, qui habebat spiritum Dei ad prophetandum, et multi erant tunc, qui habebant spiritum sompniorum et mendacii, quibus rex iniquus credidit, et ideo venit ipse rex in captiuitatem et populus cum eo. Nam si rex credidisset soli Ieremie, ablata fuisset ira mea ab eo.

7 Sic eciam nunc est, quia siue surgant sapientes siue surgant sompniatores siue surgant amici non spiritus sed carnis ipsius Gregorii pape, et suadeant et dissuadeant contrarium, nichilominus tamen ego Dominus preualeo eis et ducam ipsum papam ad Romam non ad eorum consolacionem. **8** Sed utrum tu videbis eum venire an non, tibi non est hoc licitum scire.”

Reuelacio facta sponse in Neapoli de eodem papa Gregorio, quam portauit ei quidam heremita, qui episcopatum renunciauerat. Capitulum CXLI.

1 Pater sancte, illa persona, quam bene nouit sanctitas vestra, existens in oracione vigilans, cum staret tunc in raptu mentis contemplacione suspensa, vidi in spiritu similitudinem throni, in quo sedebat similitudo hominis, inestimabilis pulchritudinis et incomprehensibilis potencie dominus. **2** Et in circuitu throni stabat multitudo magna sanctorum et innumerabilis exercitus angelorum. Et ante sedentem in throno stabat remote quidam episcopus indutus pontificalibus ornamentis.

3 Ipse autem dominus, qui in throno sedebat michi loquebatur sic dicens: ”Michi data est omnis potestas in celo et in terra a Patre meo. Et licet videor tibi loqui quasi de uno ore, attamen non solus loquor, quia Pater loquitur mecum et Spiritus sanctus, que tres persone unum sumus in diuinitatis substancia.”

4 Deinde ad illum episcopum loquebatur dicens: ”Audi, Gregori papa, undecim verba, que ego loquor tecum, et diligenter attende ad ea que tibi dico! **5** Cur tantum odis me? Quare tanta est audacia tua et presumpcio tua contra me? Nam curia tua mundana depredatur curiam meam celestem. Tu vero superbe spolias me ouibus meis, bona quoque ecclesiastica, que mea propria sunt, et bona subditorum Ecclesie mee indebite extorques et surripis et das illa amicis tuis temporalibus. **6** Tu eciam bona rapis et recipis iniuste a pauperibus meis et illa das et distribuis indecenter diuitibus tuis, propter quod nimia est audacia tua et presumpcio, eo quod tu tam temere intras curiam meam et non parcis eis, que mea propria sunt.

7 Quid feci tibi, Gregori? Ego enim pacienter permisi te ascendere ad summum pontificatum et predixi tibi voluntatem meam per litteras de Roma tibi diuina reuelacione transmissas, ammonendo te per illas de salute anime tue, et precautaui te in eis de magno dispendio tuo. **8** Quid ergo pro tantis beneficiis rependis michi? Et quid facis hoc, videlicet quod in curia tua regnat superbia maxima, cupiditas insaciabilis et luxuria michi execrabilis ac eciam vorago pessima horribilis simonie?

9 Insuper et tu eciam rapis et depredaris a me innumerabiles animas. Nam quasi omnes, qui veniunt ad curiam tuam, mittis in Gehennam ignis ex eo, quod non diligenter attendis ea que pertinent ad curiam

meam, quia tu est prelatus et pastor mearum ouium; **10** et ideo culpa tua est, quod non discrete consideras ea que ad spiritualem salutem ipsarum facienda et corrigenda sunt.

11 Et quamuis ex predictis possem te secundum iusticiam condempnare, tamen ex misericordia adhuc iterum moneo te de salute anime tue, videlicet ut venias Romam ad sedem tuam, quam cicius poteris; tempus enim pono in arbitrio tuo. **12** Scias tamen, quod quanto plus tardaueris, tanto plus diminuitur profectus anime tue et omnium tuarum virtutum. Et quanto cicius ad Romam veneris, tanto cicius accrescent tibi virtutes et dona Spiritus sancti et inflammaberis diuino igne caritatis mee. **13** Veni igitur et noli tardare! Veni non cum superbia solita et mundana pompa sed cum omni humilitate et ardenti caritate! Et postquam sic veneris, extirpa, euelle et dissipa omnia vicia de curia tua! **14** Remoue eciam a te consilia carnalium et mundanorum amicorum tuorum et sequere humiliter consilia spiritualia amicorum meorum. Aggredere ergo et noli timere, consurge viriliter, induere fortitudinem confidenter! **15** Incipe renouare Ecclesiam meam, quam ego acquisiui meo proprio sanguine, ut renouetur et spiritualiter reducatur ad pristinum statum suum sanctum, quia iam nunc magis veneratur lupanar quam sancta mea Ecclesia.

16 Si autem non obedieris predice voluntati mee, firmiter scias, quod tali sentencia et spirituali iusticia condempnaberis a me coram tota mea celesti curia, **17** quali condemnatur et punitur temporaliter prelatus degradandus, qui publice exuitur sacris vestibus pontificalibus glorie cum pudore et maledicione et repletur ignominia et confusione. **18** Sic ego faciam tibi. Nam deponam te de celesti gloria. Et omnia, que tibi modo sunt ad pacem et honorem, erunt tibi ad malediccionem et eternam confusionem. **19** Et quilibet inferni dyabolus rapiet morsellum de anima tua, quamvis ipsa immortalis et inconsumptibilis sit, et pro benedictione repleberis eterna malediccione. Et quamdiu paciar te inobedientem michi, tamdiu prosperaberis.

20 Verumptamen, fili Gregori, adhuc moneo te, ut humiliter conuertaris ad me. Et obedi consilio meo, Patris tui et creatoris tui, quia si tu predicto modo obedieris michi, ego ut pater pius misericorditer suscipiam te.

21 Aggredere igitur viriliter viam iusticie et prosperaberis. Noli contempnere diligentem te, quia si tu obedieris, faciam tecum misericordiam et benedicam te ac eciam vestiam te et ornabo te preciosis ornamentis pontificalibus veri pape et induam te me ipso ita, quod tu eris in me et ego ero in te, et glorificaberis in eternum.”

22 Hiis autem sic visis et auditis hec visio disparuit.

Reuelacio quarta, quam beata Birgitta misit domino pape in mense Iulii anno Domini M.CCC.LXXIII. Et ipsa scripsit cuidam heremite, qui olim fuit episcopus, qui tunc erat cum domino papa in Awinione.

Capitulum CXLIII.

1 Dominus noster Iesus Christus dixit michi, domine episcope, quod ego scriberem vobis infrascripta verba, que debetis ostendere summo pontifici.

2 ”Papa petit signum. Dic ei, quod Pharisei petierunt signum, quibus respondi, quod sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic ego Filius virginis fui in terra mortuus tribus diebus et tribus

noctibus. Post vero signum promissum ego Filius Dei fui passus, mortuus et sepultus et resurrexi et ascendi in gloriam meam. **3** Sic ipse papa Gregorius accepit signum ammonicionis mee, ut saluet animas: faciat ergo opere que honoris sunt mei et labore, quomodo saluentur anime et ut Ecclesia mea veniat ad pristinum statum et meliorem dispositionem, et tunc experietur signum et fructum eterne consolacionis. **4** Secundum habebit signum, quod nisi obedierit verbis meis et venerit in Italiam, non solum temporalia perdet sed eciam spiritualia et senciet tribulacionem cordis, quamdiu viuet. Et quamvis quandoque cor eius videtur habere reeuamen, tamen remorsus conscientie et interna tribulacio remanebit sibi. **5** Tercium signum est, quod ego Deus loquor cum una muliere verba mirabilia. Ad quid hoc et ad quem fructum nisi ad animarum salutem et utilitatem et ut mali emendentur et ut boni fiant meliores?

6 De discordia vero inter papam et Barnabonem respondeo, quod ultra modum est michi odiosa, quia infinite anime de illa periclitantur. **7** Ideo placitum est michi, quod concordia fiat. Nam eciam si papa expulsus esset a papatu suo, melius esset quod ipse humiliaret se et faceret concordiam, quacumque occasione posset fieri, antequam tot anime perirent in eternam dampnacionem. **8** De emendacione vero regni Francie non habebit scire, antequam personaliter papa venerit in Italiam.

9 Itaque sicut si staret patibulum, super quod penderet funis, quem ex una parte infiniti traherent ex alia vero non nisi unus, sic dampnacio animarum aperta est et quasi ad illam plerique laborant. **10** Ideo papa iste respiciat ad me unum, quia licet omnes dissuadeant ei venire Romam et obsistant, quantum possunt, confidat in me uno et ego iuuabo eum, et nulli preualebunt in eum. **11** Sed sicut pulli in nido, veniente matre, eleuant se et clamant et gaudent, sic ego gaudenter occurram ei et eleuabo eum et ad animam et corpus honorabo.”

12 Item ait Dominus: ”Quoniam dubitat papa, an debeat venire Romam pro reformacione pacis et Ecclesie mee, volo quod omnino veniat in proximo sequenti autumpno. Et sciat eciam, quod nichil grarius potest michi facere, quam quod in Italiam veniat.”

Visio, quam habuit sponsa Christi de iudicio anime cuiusdam summi pontificis defuncti. Capitulum

CXLIII.

1 Videbat sponsa quasi unam personam pontificis vestitam scapulari, que stabat in domo luto platearum respersa, cuius domus tectum fere iacebat super cerebrum dicte persone compressum. **2** Et Ethiopes nigri habentes uncus et alia instrumenta nocendi circumuallabant domum sed non valebant tangere personam illam, licet terrebant eam terrore maximo.

3 Et tunc audiui vocem dicentem michi: ”Hec est anima illius magni pontificis, quem tu nosti. Domus enim ista est retribucio eius spiritualis. Nam aliqua mundana tractabat et ideo remuneracio eius nondum lucida est, donec in purgatorio mundetur et dealbetur spiritualibus oracionibus et caritate Dei. **4** Quod vero tectum comprimit cerebrum eius, signum misterii est, quia tectum significat caritatem Dei, que quanto maior est, tanto lacior est et sublimior ad spiritualia et ad ferorem Dei. **5** Sed quia caritas anime illius in aliquibus mundialibus operibus ardebat et magis sequebatur voluntatem propriam, ideo tectum, quod luminosum et altum est electis Dei, angustum est sibi, donec sanguine filii Dei et celestis curie interuentu dilatetur. **6** Quod vero anima induita est scapulari, signum est, quod studuit se conformare religioni sue monastiche et vocacioni sue, sed non tantum conatus est, quod esset exemplar proficiencium et forma perfectorum.

7 Nunc autem tibi licitum est scire tria de operibus, que fecit in vita sua, propter que nunc patitur penam. Primum est, quod fecit quandam inobedientiam contra Deum et conscienciam suam, de quo contritionem habuit et remorsum consciencie sue. **8** Secundum est, quod dispensabat in aliquibus cum quibusdam propter carnalem amorem sequendo voluntatem suam. Tercium est, quod dissimulabat aliqua, ne offenderet quos diligebat, que corrigere potuisset.

9 Verum tamen scias, quod anima ista non est cum illis, qui descendunt in infernum, nec cum illis, qui veniunt ad grauiora examina purgatorii, sed cum illis est, qui cotidie festinanter appropinquant gracie et visioni maiestatis Dei omnipotentis."

Explicit quartus liber reuelacionum celestium sancte Birgitte.